בשם גואלי

DISSERTATIO THE

De

PLERO

RIA HIOBI IN

REDIVIVUM, CUNC

FUNCTOS VIVIF

Quam

Ex Hiob cap. XIX. ve

fundamentaliter d

&

VIRO PRÆ

Perquam Reverendo, Mag

Excellentiss

DN. JOHANNE

SS. Theolog. D. Ejusdemqve Prof. Pub.

Facultatis suæ Seniore, Templi omn

& Consistorii Ecclesiastici Ac

DN. Præceptore, Patrono & H

vanter ætatem c

In Incluta VVitteberg

ANNI LABENTIS M.

M. CHRISTOPH. HE

Hamberga Br

Ad D. XIII. Oct. In Ac

LITERIS HENC



THEOLOGICA

De

OPHO-

IN GOELEM

UNCTOSQVE DE-

IVIFICANTEM,

Quam

IX. vers. 25. 26. 27.

aliter declaravit

&

PRÆSIDE

, Magnifico, Amplissimo &

llentissimo,

NE MEISNERO,

Prof. Publ. undiquaque celebratissimo

mpli omnium Sanctorum Præposito

siastici Adsessori gravissimo,

ono & Hospite submisse & obser-

ætatem colendo,

Vittebergensi Academia

ENTIS M. DC. LXIII.

I. HENRIC. RUPERTI

erga Bremensis.

ct. In Acroaterio Majori.

HENCKELIANIS.

Prodromus.



AFflicto non esse addendam afflictionem, suadet non tantum christiana commiseratio & charitas, verum etiam dictitat naturæ æqvitas. Susq; deq; nihilominus hæc omnia habentes vanis suis Pseudermeneutæ commentis Hiobi ultra miserrimæ conditionis sortem constituti calamitatem atq; infortunium adaugere non verentur. Ast immane qvantum scelus! Pro nefas! Verba clare, optima intentione atq; ex vera animi πληροφορίᾳ prolata in pessimũ & corruptũ trahere, torqvere & retorqvere sensum, nonne ingens & inexcusabilis qvædam temeritatis ac audaciæ nota est? Cujus ut aliqvanto manifestius adversarios convincamus, brachyologiam instituemus de mente Hiobi. Is, licet ab omnibus amicis derelictus, illusus, animo tentatus, corpore æger esset, ipsa adeoq; mors exitium minari videretur, universalem tamen mortuorum resurrectionem vaticinando, unicam consolationem, omnemq; fiduciam in Christum humani generis Redemtorem collocabat, miserias leniens spe beatificæ Dei visionis. Evolent igitur hinc nigræ gallinæ nigri filii, qvi nigredinem imprimere & sanctæ huic sententiæ dicam scribere haud erubescunt. Atro carbone notentur & illi, qvi christiani, imò orthodoxi videri volunt, & tamen omni studio incogitanter vel (ut verius loqvar) petulanter, &, qvod adhuc magis est, contra propriam conscientiam classicorum dictorum, qvibus fidei articulos probare & confirmare solemus, clarum scopum obtenebrare, invertere, imò pervertere allaborant, statuẽtes cum cæcis Judæis, christianæ religionis hostibus ἀσπόνδοις, cæterisq; ejusdem farinæ sectis atq; hæreticis Jobum hic agere de liberatione è temporalibus calamitatibus & vindicatione ab afflictissimo illo statu, in qvem per diaboli calumniam inciderat. Verum enim verò si talis mos exponendi scripturas introducatur, ut glossæ & expositiones fin-

gantur pro arbitratu, nulla tandem manebit certitudo, sed qvidvis ex qvovis deducet qvivis, nec habebimus ultra Theologiam sed humani cerebri figmenta. Proinde non simus tam temerarii, ut ob qvasdam adversariorum ratiunculas cedamus protinus, & antiqvam ecclesiæ expositionem tot seculis defensam deseramus, ne istæ novitates paulatim corrumpant fidem puriorem, invehant Hæreticismum, qvando falsa doctrina spargitur, ostium pandant Epicureismo, qvando religio parum curatur. Patres sane Græci & Latini ad unum ferè omnes hoc vaticinium de universali carnis resurrectione exposuere. Eligamus saltem ex amplissimo eorum choro veritatis confirmandæ gratia unum atq; alterum. Prodeat Augustinus, qvi mentem suam lib. 22. de C. D. c. 29. satis explicavit. Illud, *qvod ait Job*, in carne mea videbo Dominum, resurrectionem carnis sine dubio prophetavit. *Hunc seqvatur Hieronymus Epist. 103. ad Pammachum:* Qvid hac, *qværit*, prophetia manifestius? Nullus tam apertè post Christum qvam ipse ante Christum loqvitur, sperat resurrectionem, imo vidit & novit. *Qvem excipiat Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 18. Qvibus adstipulatur Tertull. de resurrectione carnis c. 29. Agmen claudat Cyprianus in Exposit. Symb.* Job mysticis redundans totus eloqviis evidenter resurrectionem mortuorum prædicit. *Ne igitur tanta virtus & ingenua fidei confessio beati hujus Martyris oblivione eorum, qvi nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta maneret, constituimus apud nos de dicto hoc classico pauca qvædam impræsentiarum pro ingenii nostri modulo in medium proferre.*

B. Meisneri in Disp. de Fide Jobi.

Totam autem tractationem, facilioris methodi gratia, distribuemus in tres classes, enucleaturi in prima genuinum sensum, vocum item & phrasium nativam indolem; in secunda adversariorum strophas atq; errorum impietatem retundemus; in tertia demum conscientiæ dubia proponemus atq; resolvemus. Ut autem inceptus hic labor cedat preprimis in divini Nominis gloriam, proximi ædificationem & studiorum nostrorum promotionem. Numen altissimum, a qvo omne bonum & donum perfectum oritur, supplices seqventibus venerabimur verbis:

O lux beata Trinitas
Et principalis unitas,
Qvæ mentis ima perspicis,
Infunde lumen cordibus,

Tuo, DEUS, nati tui
Nos devovemus numini,
Precamur, his à dæmonis,
Nos protegas fallaciis.

Ex

VERBA TEXTUS.

Verſ. 25. וַאֲנִי יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי חָי וְאַחֲרוֹן עַל־עָפָר יָקוּם׃

Verſ. 26. וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ־זֹאת וּמִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ׃

Verſ. 27. אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה־לִּי וְעֵינַי רָאוּ וְלֹא־זָר׃

Σκιαγραφία contentorum dicti Jobai, ubi occurrit

Hiobi indubitata fides, qvæ fertur in *Objectum*

I. *Generale*, qvale eſt promiſſio gratiæ, hoc ipſum attingit, qvando dicit, *ſe certò viſurum eſſe DEUM poſt reſurrectionem.*

II. *Speciale*, qvod eſt Chriſtus Redemtor, cujus notetur

(1) *Officium*, qvod conſiſtit in redimendo.

(2) *Utraqve natura. Humana*, ſecundum qvam oculis corporeis adſpicitur. *Divina*, ſecundum qvam à Jobo vocatur אֱלֹהַּ.

(3) *Naturarum unio* Jobus Redemtorem ex utraq; natura conſtantem, qvaſi una eſſet perſona, introducit.

(4) *Attributa*, qvalia ſunt *Vita, Æternitas, Immortalitas, Bonitas.*

(5) *Actiones*, ut mortuos in vitam ex morte revocare, exercere victoriam, cujus duplex obſervetur fructus (α) carnis reſurrectio, (β) Clara & beatifica Dei viſio.

CLASSIS I. ANALYTICO-PARAPHRASTICA.

Verſic. XXV.

§. I.

וַאֲנִי Et ego. ו eſt Conjunctio. Appellatur ab Ebræis ו׳ חִבּוּר Vau copulationis. Emphaticè videtur poſita hæc particula, ut ſcilicet Jobus per hanc conſenſum ſuum in fide cum reliqvis *vel* demonſtraret: Et ego ſcio; *vel* ſtabiliret ſermonem, qvem propoſitu-

rus esset: Certo scio. Quæ certitudo quoque elucescit partim ex pronomine אֲנִי Ego ipse tam certus scio, ac si jam tum expertus & his meis oculis intuitus essem; partim ex seqventi verbo ידע, qvod omnem dubitationem tollit, & contra firmam ad rem certo exploratam adhærentiam ponit, Gen. 48. 49. Ps. 138. 2. Gen. 22. 12. Minimè igitur abundat hæc vocula, uti qvidem censet D. Coccejus l. c. Vulgata & LXX. Interpretes reddunt hoc Vau causaliter per γὰρ Enim. Tremellius & Piscator exponunt per Qvidem. Theander noster vertit Aber / qvasi Jobus respectum habuerit ad afflictiones suas, inqviens: Angustiæ & calamitates acriter me qvidem vexant: sed scio Redemtorem meum vivere, qvi ex his malis me certo tempore liberaturus est.

§. 2.

יָדַעְתִּי Scio. Est prima persona præter. ex rad. יָדַע Scivit, novit, expertus est, animadvertit. Denotat autem non simplicem, sed perfectam & indubitatam rei alicujus scientiam, h. e. cordis fiduciam & πληροφορίαν affectus serii à Spir. sancto excitati. Glass. l. 5. Phil. 5. tr. 1. c 1. m. 3. n. 1. p. 13. Scire Jobi igitur hic nihil aliud est, qvàm credere, uti freqventer id inculcant Philologie è Gen. 15. 13. 2. Sam. 24. 11. &c. Unde qvoqve enata est regula: Verba notitiæ apud Ebræos non solam γνῶσιν, sed sæpè etiam affectus & effectus conseqventes connotant. Marinus dicit in Lex ידע proprie & primario sensus cognitionē, post & secūdario intellectꝰ cognitionē inferre, cum nihil sit in intellectu, qvod non prius fuerit in sensu. Alii, qvos inter Buxtorff in Lex. statuunt contrarium, dicentes hoc verbum ידע propriè esse mentis & intellectus, qvandoq; etiam sensus. Cum autem hæc discrepantia non magni momenti sit, sufficiat nobis scivisse hanc radicem generaliter accipi de qvavis cognitione, sive ea sit sensualis, sive mentalis, sive fidelis, qvæ alias theologica salutatur, & est, qvando fide aliqvid intelligimus, Ebr. 11. 3. Videtur Jobum digitum intendere ad verba Bildadi c. 18. 21. qvibus ipsi fidem in Redemtorem denegaturꝰ crassæ alicujꝰ ignorantiæ & divini Numinis contemtus insimulare non veritus esset. Ut verò Hiob hanc injuriā & falsum crimen removeret, opponit hæc verba: אני ידעתי Ego sanè novi & certus sum, scil. cui & qvid credere debeam.

§. 3. Col-

§. 3.

Colligimus inde contra Pontificios & in specie contra Bellarm. l.1.c.4.&7.de justif.inferimus fidem non per ignorantiam vel etiam dubitationem, sed cum Hiobo per scientiam, omni dubitatione exclusa, definiendam. Animadvertentes hoc atqve æqva judicii lance ponderantes Pineda atqve Costerus, non potuerunt non agnita veritate hoc in puncto à nostris stare partibus. Illius verba hæc sunt: *Fidei cognitio & obscura hac divinorum scientia, sola beata visione est claritate inferior, certitudine aqvalis, reliqvis omnibus aliis scientiis longè superior atq; certior.* Hujus in Enchir.cap.4. pag. 170. extant: *Prima fidei proprietas est, qvòd sit species qvadam cognitionis, non minus atq; scientia & opinio* Circa qvæ in transcursu notetur discrimen inter δόξαν opinionem, ἐπιστήμην scientiam & πίστιν fidem. Distingvuntur enim (1) causis. Opinionem gignunt probabilia argumenta, scientiam apodictica, fidem autem non nisi scripturæ testimonia. (2) Objectis, opinio enim versatur circa dubia, ἐπιστήμη respicit certa sed rationi subjecta, fides autem supernaturalia & captum transcendentia.

§. 4.

Dicit Bellarm. *Mysteria fidei, qva rationem superant, credimus non intelligimus, ac per hoc fides distingvitur contra scientiam & melius per ignorantiam qvàm per notitiam definitur.* Resp. (I) contrarium probatur argumento ex textu desumto: Resurrectio mortuorum à Jobo scitur. Resurrectio est articulus fidei E. qvidam artic. fidei scitur. (2) disting. inter scientiam Philosophicam & Theologicam. Elargimur Bellarmino τοῖν ἀμφοῖν fidem non esse scientiam Philosophico & speciali sensu consideratam, inde tamen nondum seqvitur, E. est ἀγνοία seu pura puta ignorantia, cum possit esse γνῶσις qvædam. Nihil enim credo, nisi qvod credendum esse & ita se habere sciam. Proinde incongruè argumentatur à remotione unius speciei ad remotionem generis. Licet enim fides non sit scientia humana, potest tamen esse divina, qvæ vocatur sapientia Dei 1.Cor.2. 6. & 7. (3) accedit ignorantiam inter fidei opposita recenseri Act.7.23.& 30. qvomodo igitur potest per eam definiri?

גֹּאֲלִי Redemptorem meum. Eſt particip. ex rad. גָּאַל Redemit, vindicavit. Inde oritur partic. גֹּאֵל Redimens, Redemptor aut vindex, vel propinqvus qvi jus ac privilegium vindiciarum poſſidebat & jure neceſſitudinis & cognationis alterius honorem, ſtatum, injuriam, bona tanqvam ſua vendicabat. Sic (1) qvando propinqvus occidebatur, tum hujus ſangvinem effuſum, qvaſi is ſuus eſſet, jure propinqvitatis vendicabat & dicebatur גֹּאֵל הַדָּם vindex ſangvinis Num. 35. 12. (2) qvando qvis ſine liberis moriebatur tum bona & hæreditatem deſumpti redimebat Lev. 25. 25. (3) qvando ex propinqva muliere ſemen producebat, appellabatur itidem Goel Ruth. 2. 20. & c. 3. 12. Vid. Coccejus l. c.

§. 6.

Alias פָּדָה ſignificat etiam redimere, attamen differunt גאל & פדה Illud eſt noſtri aſſertio, & qvod jure, eum noſtrum fuerit repetere poſſumus, adeoqve innuit dominium vel poſſesſionem alterius, hoc verò captivitatem & reatum. (2) Posſibile eſt utrobiqve ſolutionem pretii intervenire, ſed non ſemper intervenit. (3) Illud in ſui recuperatione, hoc in libertate redempti terminatur. Hoc itaqve plus eſt qvam illud. Aſſertio enim facit, ut eum, qvi tuus eſt, apud te ſit. Redemtio, ut tuus, ſi opprimatur, fiat liber. Conf. verſ. 9. cum 10. cap. 35. Eſ. Nec non cum verbo גאל affinitatem qvandam habet גָּלַל rem alio devolutam ad ſe revolvit i. e. redemit & in libertatem aſſeruit.

§. 7.

Qvotiesçunqve in Scriptura S. גאל Filio DEI tribuitur, toties LXX. interpretes reddiderunt per λυτρȣ̃ν, λυτρωτὴν, λυτρȣ̃σθαι. Hoc in loco habent: ὁ ἐκλύειν με μέλλων, qvi me ſolvere debet, ſc. ſangvine ſuo à peccato, ira, morte, diabolo & inferno. Unde liqvido conſtat גאל non ſignificare ſimplicem Redemtorem, ſed potius radicem illam duo maximè notabilia in ſe continere, ut cognationem Redemptoris & vindicationem interventu λύτρȣ ſeu pretii. In hoc enim ſignificatu Mesſias proprie vocatur mundi Redemptor, ad qvem Patres Vet. Teſt. toties ſimul reſpexerunt, qvoties fides in Redemptore fundata & radicata eſſe dicitur. Propter

enim

enim magnas & multas nostras transgressiones sub potestate diaboli captivi tenebamur. Deus autem humani generis misertus volebat hoc sibi rursus asserere & vindicare. Mittebat itaq; Filium suum, ut nostram susciperet carnem & jure propinqvitatis à Sathanæ imperio nos liberaret per pretiosum suum sangvinem Eph. 1, 7. Cum itaq; Hiob id ex V.T. vaticiniis satis superqve prælibasset, in immediatam fidei salvificæ objectum, nempe Goelem suum, Dei & Mariæ Filium, omnem spem, fidemq; unicè totoq; ponendo, ej9 meritum in specie sibi applicavit, uti id testatur vocula: *meus*. Ea enim cum similibus solet esse applicatoria & amatoria, qvasi Jobus dicere voluisset: Scio Redemptorem, qvem ex imis cordis penetralibus amo, qvem etiam meum esse certa & indubitata fide cognosco, vivere.

§. 8.

חַי Vivum. Est particip, ex rad. חָיַי, aut, si mavis, ex rad. חָיָה Vixit, revixit, revaluit. Avenarius in Lex. pag. 240. apprime notavit חַיֵּי vitam exprimere naturalem, simulq; citavit qvædam exempla, qvæ nonnisi de vita naturali intelligenda veniunt. Differentiam Ebræi qværunt inter חַי & חֵי. Illud, dicunt, usurpari de solo vero Deo, hoc de aliis rebus 2. Reg. 7. 7. 1 Sam. 20. 3. 1. Sam. 25. 26. 2. Sam. 15. 21. Apud Ebræos חַי qvandoqve idem qvod recens significat, v.g. הַבָּשָׂר הַחַי caro circa h. e. recens, non putrida Lev. 13. 16. & 14. 5. 1. Sam. 2. 15.

§. 9.

Elicimus ex hac voce Jobum collimasse, (1) ad futuram Redemtoris humanitatem, qvæ unice recens dici potest, ut talis emergat sensus: Scio Redemtorem meum recenter qvoad humanitatem natum & vivum (qvi nuper vixit, nunc verò mortuus est, sicut caro vivens i.e. caro qvæ nuper vixit) novissimum super pulverem staturum i.e. è sepulchro resurrecturum esse. (2) ad Redemtoris divinitatem. Nam qvi absolute & formaliter vivens est, solus & unicus Deus est. Is enim vitam habet per se, à se & ex se. Hinc est, qvòd sacer codex vitam Dei inter essentialia idiomata referat, unde vivens in eminenti gradu & κατ᾽ ἐξοχὴν, imò solitariè describitur. Sic Gen. 16. 14. c. 24. 62. c. 25. 11. Deut. 5. 26. Esa. 3. 10 Matth. 16. 16. Actor. 14. 16. Rom. 9. 26. & reliqvis Scripturæ locis soli Deo, tanqvam Authori

vitæ, propriè vita tribuitur. Redemtor igitur Jobi non est purus homo, sed ipse Deus vivens. (3) ad Redemtoris æternitatem. Non ad tempus sed in perpetuum vivit Redemtor. Sicuti enim à parte ante, ita & à parte post vita Dei est infinita i.e. vita Dei à nullo incipit principio & in nullo terminatur fine, vivitqve in seculorum secula Apoc. 4.9. Qvadrat huc illa jurandi formula in scriptura freqventata: *Vivit Dominus.* Qva locutione sempiterna & perpetua vita Dei indicatur. Summum hoc est Jobi solatium, qvo se in ærumnis erigit, qvod scil. habeat Redemtorem semper existentem sibiqve adsistentem, perpetuum & æternum. Sine dubio collimarunt huc LXX. Interpretes, qvi verterũt: ἀέναός ἐστι sine annis h. e. semper fluens, nunqvam desinens, perpetuo durans & æternus est. (4.) Ad Redemtoris bonitatem. Deus non tantum formaliter sed etiam effectivè & communicativè vivus est. Dat enim vitam naturæ, gratiæ & gloriæ, concessam sustentat atqve restaurat. Cur enim Judæa & Jerusalem vocata est terra viventium Ps. 26. 13. Ps. 141. 6. Ez. 26. 20? Nullam sanè aliam ob causam, qvàm qvod in ea Deus verus & vivus habitaret, suisqve cultoribus vitam & omnigenam prosperitatem conferret. Inde Jobo iterum enascitur solamen hoc: Scio Redemptorem meum vivere vitæqve & omnium bonorum Authorem & Datorem, imò Fontem & Promtuarium esse, idcirco non desperabo in meis anxietatibus sed semper expectabo salutem à Domino, qvi me suo tempore vivificabit, qvia & meus Redemtor est. Notetur Jobum immediatè annectere conjunctionem Vau, qvæ h. l. est causalis & idem notat qvod ergo, ideo, propterea. Hanc significationem passim obtinet in Scriptura S. e. c. Genes. 44. 10. & 11. c. 49. 15. Es. 3. 7. Unde ita rationando concludit Jobus: Si redemtor meus, qvod ego certò novi, resurrexit & vivit. E. & ego in novissimo die resurrecturus atqve victurus sum. Hic Syllogismus cum sit compositus in gratiam nonnullorũ, qvi id fieri non posse censent, ad formam categoricam seu simplicem ὡς ἐν παρόδῳ & occasionaliter reducemus, præsupponentes (α) diversissimam esse rationem inter veros Syllogismos: & scopas dissolutas. Compositi syllogismi, si boni sunt, tribus saltim constant terminis. Poterunt itaqve reduci juxta regulas figurarum. (β) Licitum esse propositionis probationem majoris evidentiæ causæ addere. Nam Logicus non ad

ῥῆμα

ῥήματα more Grammaticorum adstrictus est, sed ad νοήματα. (γ) Verba posse augeri & substitui alia, dummodo sensus maneat salvus & integer. Hisce præmissis reducimus illam, qvi sub manibus est, Syllogismum, adjiciendo probationem majoris, qvia Christus est caput piorum, & ita colligimus: Qvorum caput resurrexit & vivit, illi qvoq; resurgent & vivent. Pii sunt qvorum caput &c. E. Excipiat qvis majorem posse in dubium trahi R. (1) nihil ad nos, sufficit qvod Syllogismum Hiobi compositum ad formam simplicem reduxerimus (2.) qvi majorem negat, contra Sp. S. loqvitur (3) facili negotio potest probari exinde, qvod caput non possit esse sine membris. Si igitur caput resurrexit, membra qvoq; illius capitis resurgent. Dicat qvis, qvid fiet de impiis, qvi non habent Christum caput, an illi resurgent? Resp. (1) Jobum hic universalem mortuorum resurrectionem asserere, licet diversimode. Pii enim resurgent vi meriti Christi & intrabunt cœlestia gaudia atq; beatifica visione perfruentur. Impii contra vi justitiæ divinæ vindicativæ resurgent in majorem pœnam atq; vehementiorem ignominiam. Vid. Magnif. Dn. D. Præsidis in Fasciculo Dispp. Theol. Disput. ultima de Resurrectione impiorum, in qva pro more solito acutè contra Calvinum, & Calvinianos, Paræum, Martyrem, Gualterum, Fr. Junium, Scarpium agit (2) addi potest similiter probatio majoris, qvia Christus est Dominus impiorum, & ita argumentamur: Qvorum Dominus resurrexit, illi resurgent. Impii sunt, qvorum &c. E. (4) ad Redemtoris resurrectionem. Super pulverem enim stetit, ut Dux vitæ & Debellator mortis, adeoq; propria virtute resurrexit, qvod opus est solius Dei, non alicujus hominis qva talis. Conf. Joh. 2. 19. it. c. 10. 8 Regerunt Photiniani ex Act. 2 33. it. c. 3. 15. & 26 Eph. 2. 20. Pater filium suscitavit. E. non propria virtute resurrexit. Resp. Unius positio non est alterius exclusio. Opera enim Trinitatis ad extra sunt indivisa. (2) Pater suscitavit Filium per ipsum tanqvam per aliam personam, ejusdem potentiæ, essentiæ atq; gloriæ cum seipso. Nam omnia qvæ Pater facit, ea similiter & Filius Joh. 5. 19. Mirari forsitan subeat, cur Jobus in præsenti dicat: Scio Redemtorem vivum esse h. e. resurrexisse, cùm tamen nondum erat mortuus, qvod testatur etiam Hieron. in Epist. 51. ad Pammach: *Nec dum mortuus erat Christus Dominus, & Athleta ecclesiæ* (Jobus) *Redemtorem suum videbat ab inferis resurgen-*

 tem

tem. Verum sciendum apud Ebræos infreqventem non esse permutationem futuri & præteriti, & Jobum simul ad futurum respectum habuisse, produnt verba in textu seqventia. Hæc igitur summa est fidei Jobææ: Ego scio, firmiter credo, liberaqve voce profiteor, Christum Jesum Redemtorem meum esse verum & viventem Deum, immortalem, æternum, semperqve beatum & vitæ authorem, qvi in tempore secundum assumtam humanam naturam moriturus, vicissim potenter resurget & vivet in æternum. Vid. B. Meisn. Disp. de Fide Jobi.

§. 10.

וְאַחֲרוֹן Et novissimus, postremus, ultimus. Est nomen mascul. à rad. אָחַל Tardavit, moratus est distulit, venit post, seu posterioravit. Unde descendit אַחֲרִית postremo ultimo. Cum LXX in aliis locis soleant hanc vocem exprimere per ἔτερ☉ vel ἔσχατ☉, miror sane cur in hoc dicto planè omiserint. In versione Pagnini adverbialiter legitur *novissimo*. B. Luth. qvoqve adverbialiter interpretatus est. Chaldæus, *Posthac*. Nomina enim sæpè adverbialiter sumuntur & planè adverbiascunt. Potest etiam hæc vox posita esse pro בְּאַחֲרוֹן in novissimo, scilicet die. Qvo tendit etiam versio Gallica D. Deodati: *Au dernier jour, in ultimo die.*

§. 11.

Petr. Martyr. cl. 3. LL. CC c. 15. p. 697. dictionem אחרון non solum de tempore, sed etiam de Christo Redemtore vult intellectam, dicens idem hic valere qvod perfectum, qvasi Job dixisset. Non datus est hominibus præter Christum alius Redemptor, à qvo salus expectanda, sed is est extremus & perfectus, licet non nesciam, qvod multi hactenus, partiarii & imperfecti fuerint redemtores. Qvod hanc exegesin attinet, fatemur nos eandem non adeò improbare posse, qvia in analogiam fidei non impingit, interim tamen sensus ille à litera textus est alienus. Nec video sanè, si אחרון sumatur pro extremo vel perfecto, qvi verba illa, super pulverem stabit, commodè verti possint?

§. 12.

עַ Super vel supra. Est præposit. ex rad. עָלָה, Scandit vel adscendit. Plures habet hæc particula significationes, qvas qvi scire avet,

avet, adeat Cl. Buxtorff. Lex. pag. 547. LXX. Verterunt ἐπὶ Chald. *super*. Vulgata de. Lutherus aus.

§. 13.

עָפָר Est nomen masculin. significans idem qvod pulvis, terra. Hinc LXX. ἐπὶ γῆς. Chald. Paraphrastes has voces עַל־עָפָר reddit, *super me*, ita ut ipse Jobus intelligatur, qvi pulvis & terra cum cæteris hominibus sit. Alia, præter hanc, versionis hujus non facilè dabitur ratio.

§. 14.

יָקוּם stabit, suscitabit. Est tertia pers. Fut. in Kal. rad. קוּם surrexit, ex surrexit, stetit, substitit. Qvam vis maximam partem & communiter hæc radix accipiatur intransitivè, tamen transitive usurpatur qvoqve Amos. 7. 2. & 6. מִי יָקוּם יַעֲקֹב Qvis eriget seu suscitabit Jacob, qvia parvus est? Marino & Coccejo hæc non sunt ad palatum. Proinde hic monet, præsentẽ locum verti debere, *qvis stabit Jacob? qvia parvulus est*, h. e. qvomodo stabit? Sic Esa. 51. 19. מִי אֲנַחֲמֵךְ qvis consolabor te, i. e. qvomodo consolabor te. Rationes annectit duas & obvertit (1) Esse contra usum scripturæ, si יָקוּם stabit, per יָקִים suscitabit explicetur & Kal cum Hiphil confundatur. Resp. (1) Est κρινόμενον adeoqve petitio principii. (2) LXX interpretes, ut peritissimi & accuratissimi Ebræi, verterunt transitivè, τις ἀναςήσει; (3) qvid si dicamus, tale verbum in originali extitisse, qvod gigneret hunc sensum, adeoqve lectum fuisse loco medii Vau in יקום jod, ut fiat יָקִים tertia fut. in Hiph. præprimis cùm, qvoad picturam magna sit cognatio inter ו & י & hoc fortassis demonstratu haud difficile foret, si antiqvorum exemplarium copia daretur. Excipi posset, Chaldæum tamen Paraphrastên sensum intransitivum retinuisse. Verùm facilis est Resp. nempe ex distinctis exemplaribus ortam esse hanc versionum varietatem. Obvertit (2) Non esse plenam constructionem, postremas super pulvere excitabit___. Qvem? Resp. (1) עַל debet verti commodioris sensus gratia ex vel de pulvere. Multas enim hæc particula pro exigentia locorum significationes admittit. (2) si qværit resuscitationis objectum, tum dicimus id esse Jobum & omnes fideles. Qvod si regerat, signifi-

cantius esse, si de Redemtoris vita immortali & potestate in pulverem, ex qvo & corpus suum resuscitavit, accipiatur, tum Resp. Concedendo qvidem, sed hac cautela adhibita, ne Jobus excludatur. Ille enim ex Christi resurrectione eliciens suam, non aliter atqve S. Paulus 1. Cor. 15. argumentatur: Si Christus resurrexit E. & nos resurgemus.

§. 15.

Et licet vel maximè urgeatur regula seu generalis Maxima de קוּם intransitivo, & qvòd B. Lutherus, dum transitivè reddidit, peccaverit, attamen in promtu nobis est sat validus Lutherum defendendi modus, si scilicet dicatur eum primariò attendisse sensum, non singula verqa, proindeqve pro Interprete non Metaphraste esse habendum. Lutherus scopum Jobi attendendo perspicuitati studere voluit, ponens nimirum conseqvens, licet in textu Ebræo habeatur antecedens. Conclusio enim fluit ex medio termino, & ille extat in fonte.

§. 16.

Alii, qvos inter Joh. Pineda Comment. in h. l. p. 99. valdè operosi sunt, ut ex alio fundamento versionem Lutheri vindicent. Hærent enim in hac opinione, qvasi LXX. & Vulgatus Interpres initio in suis exemplaribus legerint non יָקוּם in tertia, sed אָקוּם in prima, surgam super terram, ope Goelis mei; deinceps verò Judæi depravarint & duo latera sinistra τȣ̃ א abraserint, ut hac ratione superstes mansisset solum punctum Jod. Verùm hoc fundamentum ea facilitate rejicitur, qva affertur. Est enim lubricum, merisqve nititur conjecturis.

§. 17.

Piscator Herbornensis per stationem intelligit triumphum seu victoriam ex hostibus; & per pulverem indigitat locum certaminis. Hinc in glossis Biblicis ita vertit: Er wird der letzte auff dem Staub bestehen/das ist/daß er das Feld behalten wird / wenn er mit meinen Feinden wird streiten/mich von ihnen zu erlösen. Sed enim licet sensus non adeo sit incongruus & impertinens, versionem tamen nimis remotam, contortam atq; arbitrariam esse, inunctis necesse sit oculis, qvi non videat, qvin qvod Jobus non simpliciter victoriam adversus hostes suos profiteatur, sed specialiter modum victoriæ

sui

ſui Redemtoris determinet. Unde in fumum ſimul abit Grotii explicatio, de qva conf. Magnif. Dn. D. Calovius, Præceptor meus ſumme venerandus in Annot. Bibl. h. l. contra Hug. Grotium.

§. 18.

Chaldaica verſio, ſi dicendum qvod res eſt, nimium exſpatiatur à textu, qvando generaliter de cunctis morte Chriſti acqviſitis beneficiis, qvo etiam mortuorũ reſurrectio ſpectat, exponit: Poſthæc redemtio ejus ſurget ſuper me. Nam non tam de redemtione qvam de Redemtore primario hic ſermonem inſtituit Hiob.

§. 19.

Longum autem latumqve pedem non diſcedunt à proprietate verborum Vatablus, aliiqve cum ipſo, qvando verba illa, de qvorum nucleo jam ludimus, interpretantur de adventu ad univerſale judicium. Radix enim קום qvando cum præpoſit. על conſtruitur, notat repugnantiam aut hoſtilitatem Jud. 9. 17. Pſ. 54. 5. Senſus igitur foret: Novisſimo die conſurget adverſus pulverem i.e. adverſus genus humanum, tanqvam ſeverus judex ad vindicandum peccata. Si adhuc aliter præpoſ. על per coram vertatur, ut Zach. 6. 5. Ex. 20. 3. tum prodibit ſenſus: Conſurget coram pulvere ad judicandum. Et ſic per vulverem generatim intelligitur homo per metonym. materiæ pro materiato, Gen. 3. 19. Strictim qvandoqve homo mortuus per metonym. ſubjecti pro adjuncto, vel continentis pro contento. Evolvant, qvibus intereſt, Pſ. 22. 15. Pſ. 30. 10.

§. 20.

Qvidam ſatis proprie & nervoſe voculam על exponunt per Propter ad innuendum primum Chriſti adventus finem, qvi eſt reſuſcitatio mortuorum. Hinc Forſterus obſervavit in Lex. p. 596. hanc particulam aliqvando cauſam & finem alicujus rei indicare, ut Jer. 51. 35. Gen. 16. 4. Senſus igitur foret: Chriſtus ultimo die ſurget propter pulverem, i.e. mortuorum & defunctorum cauſa, ut nempe illis iterum vitam reſtituat.

§. 21.

Martyr l.c. cum Schindlero in Lex. p. 1395. adhuc aliter explicavit: Poſtremo tempore, h.e. ad finem ſeculi ſurget, i.e. exercebit vires ſuas, erga pulverem, h.e. erga corpora defunctorum jam in pulverem redacta, illa vicisſim excitando atqve è ſepulchris prodire faciendo.

§. 22.

§. 22.

Inveniuntur mira qvædam ingenia, qvæ affirmare audent, pugnam dari inter Theologiam & Philosophiam, eo qvòd illa affirmet, hominem demortuum esse ad vitam resuscitandum, hæc verò neget, cum à privatione ad habitum non detur regressus. Ast Resp. Philosophia non negat omnem reditum à privatione ad habitum, (ut à tenebris ad lucem, à somno ad evigilationem, à morbo ad sanitatem) in qvibus autem negat, loqvitur de reditu naturali, non autem de eo, qvi à principio & virtute supernaturali proficiscitur. Vid. Vedelius in rat. Theol. lib. 3. cap. 2. pag. 347. ad 9. Dn. Prücknerus in h.l.

Vers. XXVII.

§. 23.

וְאַחַר Et postqvam. Est adverbium temporis. Vulgatus habet rursum. Potest etiam qvandoqve præpositionis vices sustinere, & tum idem notat qvod *post*.

§. 24.

עוֹרִי Pellis vel cutis mea. Est nomen cum affixo. Dicitur ita à nuditate, ex rad. עָרָה, nudare, fodere, eruere. Sunt qvoqve nonnulli inter eruditè doctos, qvi derivare amant ab עור, excitatus, experrectus est, vel qvia in cute propter sentiendi facultatem ad varia sit excitatio, vel juxta Avenar. in Lex. qvia pilis est excitata.

§. 25.

נִקְּפוּ Excidentur. Est tertia plur. præt. in Niph. à rad. נָקַף Excidit, concidit, excussit, decussit. Ponitur hic excidentur pro excidetur per enallagen numeri. Plurimi formæ Pihel esse dicunt transferentes per contriverunt, confoderunt, durchstochen. Avenar p 512. active transtulit: postqvam pellem meam deciderunt, subintellige vermes.

§. 26.

זֹאת Hæc. Est pronom. fœmin gen. atq; subintelligi potest neutrum, similiter Gen. 3. 14. legitur fœmin. sed intelligi tamen debet neutrum. Ebræi enim rem indiscreti generis significaturi fœmineam terminationem adhiberi solent e. g Ps. 27. 4 Unam petii à Domino, h. e. unum, Eins bitte ich vom HErrn. Glass. Gr. sacr. p. 49.

LXX. verterunt neutraliter per ταῦτα hoc sensu: Redemtor meus suscitabit carnem meam, qvæ tolerat hæc, i.e. has afflictiones. Ubi tamen notandum, eos hac ratione nimium à textu originali dilabi, idqve non tantum in hoc vocabulo, sed in tota propositione, dum omittunt vocem וְאַחַר referentes עוֹרִי ad verbum præcedens יָקוּם hoc modo: Ἀναστήσεται τὸ δέρμα μου τὸ ἀνατλοῦν ταῦτα suscitabit pellem meam, qvæ patitur hæc. Pagninus & B. A. Montanus particula illa זֹאת ad cutem respiciunt: postqvam pellem meam contriverint hanc. Sed qvo minus id fieri possit, in causa est vox עוֹר qvæ generis Masculini est. Chaldæus interpres voculam jam allatam ad tempus resurrectionis & visionis refert: Postqvam inflata seu redintegrata erit cutis mea erit hoc, qvod visurus scil. sum Deum. Qvæ versio non adeò qvidem incongrua esset, nisi obstaret saltem נִקְּפוּ qvod non rectè per inflari exprimitur. In Vatabli versione, post pellem meam contriverunt istud, nullus sensus apparet. Grotius per זֹאת intelligit arvinam, verum rectius caro ipsa subintelligitur, juxta versionem Anglicanam, utpote cujus postea mentio fit.

§. 27.

Nec minus virgula censoria dignus est Piscator, qvi de verbo ad verbum hunc in modum interpretatus est: Wiewohl sie (die Würme) nach meiner Haut dieses (dis mein arm Fleisch und Bein) durchstochen haben &c. Nam qvalis qvæso hic sensus, qvalisve cum præcedentibus cohærentia? Et qvid multum immoramur hujus versionis examini, cum semper aliqvid monstri alat & Germanas aures ad nauseam usq; offendat, cujus vivum exemplum reperitur in Ps. 22, 7, ubi B. Luth. optimè reddidit: Du bist mein Schirm / ille autem: Du bist mein Schlupffwinckel &c. cit. Dilherro in Eclog. S. p. 403. Videt itaqve qvilibet ridiculam esse hanc versionem, & qvod graviter peccet in legem interpretis, qva tenetur non nuda vocabula sed sensum exprimere atq; attendere lingvam, in qvam transfert, non ex qva, eo officio namq; Metaphrastes fungi solet. Hinc Luth. in Præfat. super Esaiam: Non opus est, ut verba singula singulis respondeant, sed sufficere, si simul sumta à simul sumtis non discrepent, i.e. si totus contextus à toto contextu non discrepet.

§. 28.

Cum itaqve B. Luth. olfaceret Jobo sermonem esse de universali mortuorum resurrectione, sensum atq; significatum horũ ver-

borum satis commodè expressit hoc pacto: Und werde darnach mit dieser meiner Haut umbgeben werden. Non eqvidem inficias imus verba hæc Germanica ab Ebræis qvodammodo deflectere. Verbum enim, qvod in fonte tertiæ personæ est, in translatione fit primæ; deinde idem verbum juxta Vulgatum expressit per circumdabor. Verùm sensus coincidit, licet verba discrepent. Eodem enim recidit, sive dicat: Cutis mea resurgit post Confossionem, sive: Ego pelle circumdabor. Præprimis si qvorundam derivatio locum inveniat, qva נִקְּפוּ deducunt à rad. נָקַף, qvod significat circumdedit, circumivit cinxit, ita Job. 1. 5. & c. 19. 6. accipitur, notante Buxt. in Lex. Esset igitur נִקְּפוּ tert. plur. præt. Niph ut ita inter defectiva Pe jod, qvæ more defectivorum Pe Nun solent flecti, referatur. Hinc duplicata enallage ponenda tum temporis, præteriti scil. pro futuro, tum numeri, pluralis pro singulari, & vocula זֹאת de ipso corpore veniet interpretanda, ut hic emergat sensus: Et post pelle mea circumdabitur hoc corpus. Sixtinus ab Amama in Anti-Barb. Bibl. hoc unicum reponit, qvod illud verbum יִקַּף nuspiam alias legatur in Niphal. Sed qvid tum postea? Danturne plurima ἅπαξ λεγόμενα?

§. 29.

Si qvis verò in hanc exegesin consentire renuat atqve prætendat, nimis durum & horridum esse, si נָקַף in prima conjug. accipiatur, duplex enallage statuatur & per זֹאת ipsum corpus exprimatur. Huic. Resp. (1) Satis esse, si hac ratione translatio Lutheri propius ad fontem accedat Ebræum. (2) in locis obscuris figuras esse assumendas, si verba textus nullum monstrent sensum. (3) Paraphr. Chald. ferè cum Lutheri coincidit, qvæ ita habet: Et postqvam inflata fuerit pellis mea. Ubi per inflari procul dubio nihil aliud indicatur, qvàm circumductio & in pristinam ac meliorem formam restitutio. (4) Verbis ferè similibus mortuorum resurrectio describitur Ezech. 37. 8.

§. 30.

Aliam interpretationem vocis עוֹרִי suppeditavit Schindlerus in Lex. col. 1299. Ille enim subaudit puterfactionem, ut hic fiat sensus Hiobi: Post (putrefactionem) cutis meæ excidentur, *absumentur* hæc *omnia visibilia*.

§. 31.

Neq; leviter omittenda erat expositio verbalis, qvæ B. D. Gerhardo l. c. atqve Marino f. 476. omnium simplicissima videtur. Sensus

ſus erit talis: Et poſt excitari meum, vel poſtqvam ex mortuis per-
illum meum Redemtorem excitatus fuero, tunc excidetur hoc, δεικ-
τικῶς hoc omne qvod in mundo adſpicio.

§. 32.

Aliam, præter jam adductas, ſi qvis deſiderat interpretatio-
nem, adeat Zanchium P. 1. de tribus Elohim l. 2. c. 4. p. 51. Ille enim,
ut orationem hanc ellipticam ואחר עורי נקפו זאת compleat, aſ-
ſumit iterum verbum יָקוּם. Lubet apponere, ut ſenſus clarior fiat,
huc verba ejus: Et poſtea cutis mea, (qvam) contriverunt (præte-
ritum pro futuro) vel corroſerunt (nempe corroſores morbi, & tan-
dem etiam mors & vermes) hæc (cutis) qvam videtis exeſam ferè
(repetendum more in Scripturis freqventato ἀπὸ τοῦ κοινοῦ) denuo
יָקוּם reſurget. Et, ut paucis multa complectar, argumentum format
à cauſa ad effectum, ſeu à capite ad membra, & h. m. tandem con-
cludit Hiob: Redemtor meus ſurget, & poſtqvam pellis mea con-
ſumta fuerit, hæc ſimiliter ſuper terram conſurget. Hæc expoſitio,
ſi animi noſtri complicatam notionem evolvimus, laudem haud
vulgarem meretur, utpote cum nativam vocum ſignificationem
retineat, ſenſumqve clare exprimat.

§. 33.

Tribus tandem verbis Tigurinorum verſionem expediemus,
qvæ ita ſe habet: poſtqvam verò circumdederint (Pater, Filius & Sp.
S.) pelle mea hoc ſc. corpus meum.

§. 34.

וּמִבְּשָׂרִי Et de carne mea מן eſt præpoſ. & ſignificat A, ab, de
ex, præ, cum, in. Conjungitur hic alii voci ejecto Nun, in cujus locū
ſuccedit, dageſch. Buxt. Theſ. Gram. p. 554. בָּשָׂר Caro, eſt generis
maſculini, & per Synecdochen nunc totum, nunc partes denotat
qve complectitur.

§. 35.

אֶחֱזֶה Videbo. Eſt prima perſ. Fut. in Cal. Radix חָזָה Vidit,
prævidit, adſpexit, reſpexit, contemplatus eſt, intuitus eſt. LXX.
iterum à verbis textus nimium dilabuntur, qvando ita interpre-
tantur: παρὰ γὰρ Κυρίου ταῦτά μοι, συνετελέσθη, ἃ ἐγὼ ἐμαυτῷ
συνεπίσταμαι, Nam à Domino hæc mihi confecta ſunt, qvæ ego mi-
hi conſcius ſum ſc. infortunia. Hac radice viſio corporalis indica-
tur, qvod ſeptuaginta obſervarunt, ideoqve per βλέπειν, ὁρᾶν
ſemper exprimere ſoliti ſunt. Deinde Prophetæ qvoqve dicuntur

חזים Videntes, & tùm idem sibi vult, acsi aliqvid in visione cognoscere, qvia Deus per visiones & apparitiones externas ipsis res futuras atqve occultas patefaciebat.

§. 36.

אֱלוֹהַּ DEUS. Est gen. masc. Habet modo pluralem, modo singularem sensum. Jobus Redemtorem suum Deum appellat respiciens, ad divinam Christi naturam. Deinde Redemtorem suum oculis corporeis visurum credit in die novissimo, & hoc modo respectum tenet ad humanam Christi naturam, utpote qvam proprie oculis carnis intueri possumus.

§. 37.

Vorstius in tr. de DEO turpiter abutitur hac phrasi: Videbo Deum in carne mea. Etenim inde colligit, Deum non esse infinitum, qvia possit videri. Verum Resp. ipsum confundere visionem cum comprehensione essentiæ divinæ. Videbimus qvidem immensum Deum in altera vita etiam qva essentiam, sed non nisi oculis correctis, unde infinitati ejus nihil decedit. Conf. hac de re prolixè disputantes Pinedam in h. l. & Becanum in Controv. l. 3. c. 1. p. 504.

Vers. XXVII.

§. 38.

אֲשֶׁר Qvem. Est pronom. utriusqve gen. & num. & significat Qvi, qvæ, qvod. Aliqvando conditionaliter sumitur pro אם Si, qvia, qvòd, cùm.

§. 39.

לִי Mihi. Est Dativus gaudii, & denotat beatificam visionem.

§. 40.

וְעֵינַי Et oculi mei. Ex absoluto עַיִן oculus. Metaphoricè fontem superficiem, colorem significat, qvasi adspectum aut externam rei speciem dicas. Buxt. in Lex.

§. 41.

רָאוּ Viderunt. Est tert. pers. præt. Kal. Radix רָאָה Vidit, adspexit, circumspexit, expertus est, percepit. Per Enallagen temporis

ris ponitur viderunt providebunt. Indicat igitur se prægustasse qvasi in corde suo illam visionem Dei per illuminationem Spiritus sancti. Differt hæc radix à superiori חזה in eo potissimum, qvod denotet propriè in aliqvid oculis & mente intendere, cum peculiari qvodam sensu & experientia rei conspecta. Conf. Ex. 3.3. Eccl. 1.16.

§. 42.

לא Non. Est adverbium negandi.

§. 43.

זָר Alienigena, alienus, alius. Qvidam vertunt paganum, profanum, extraneum, qvi alterius gentis & familiæ est, qvàm ejus, de qva agitur. Rabbini vocant anomalum. In sacris pandectis impius & perversus vocatur זָר Prov. 71. 8. Arabibus זור significat impietatem, Psal. 139. vers. ult.

§. 44.

Recensetur in hactenus dictis ultimus victoriæ fructus, qvi est visio beatifica seu vita æterna, ubi Deum de facie ad faciem oculis corporeis adspecturi sumus, idqve colligimus ex verbis Hiobi: Et de carne mea & his meis oculis videbo Deum. Removet igitur (1) visionem Dei in Symbolis & ænigmatibus, qvalis Psalm. 27. 4. (2) cognitionem virtutis ac favoris Dei in hac vita, qvalis Es. 38. vers. 11. Job. 33. vers. 26. (3) spectationem gloriosæ alicujus manifestationis in eadem hac vita & carne, qvalis Exod. 24. vers. 1. describitur.

§. 45.

Annectit Jobus: Qvem vel qvod (si referatur ad Novi) videbo mihi i.e. non iratum vel adversarium, sed charitate exuberantem ad sempiternam meam vitam, gaudium & gloriam indesinentem.

§. 46.

Potest hujus Phraseologiæ, Videbo mihi Deum, alius qvoqve sensus esse, nempe videbo DEUM, ut testem & judicem pro me, i.e. à meis partibus, ut hac ratione Jobus judicium gratiæ inclusisse videatur. Leg. Coccejus in h.l.

§. 46.

Qvando Jobus dicit: Oculi mei viderunt & non alterius,

(hanc constructionem sine ulla difficultate potest admittere) tum hoc vult: non alterius, sed meo nitor sensu, & propriam habeo experientiam. Si qvis autem vertere velit alius aut alter, sensus eodem plane redit. Non enim negat alium similiter vidisse Deum, sed hoc tantum, qvod alius pro se viderit & sic ipsemet non.

§. 48.

Deniqve & hæc significatio est tolerabilis: Videbo mihi Deum & non impius. Non autem existimandum, qvasi Jobus impios ab omni excludat visione, cum tantum à salutari & beatifica arceat eos. Alias enim haud ignotum est ex aliqvot scripturæ locis impios adspecturos esse Deum Redemtorem die novissimo in throno judicis sedentem. Videbunt igitur Deum non autem sibi, sed adversum se.

§. 49.

Aliter etiam dictum hoc militat adversus Flacianos, qvi contendunt peccatum originis esse ipsam hominis substantiam. Pugnat enim hæc sententia inter alia absurda cum articulo resurrectionis & vitæ æternæ hoc modo: Ille ipse homo, qvi mortuus est, resurget & vitam æternam intrabit Job. 19. 26. 27. Peccatum non resurget, Nihil enim coinqvinati ibit in vitam æternam Apoc. 21. 26. E. peccatum non est ipsa substantia humana.

§. 50.

Flaciani excipiunt, esse qvidem idem individuum resurrecturum, sed forma substantiali mutata. Verum hæc responsio est planè falsa. Qvo pacto enim erit idem individuum, si non habet eandem formam substantialem: Unitas enim individui ex numerica formæ unitate in totum dependet. Grawerus Prælect. in A.C. P. 2. art. 2. p. 36. obj. 7.

CLASSIS. II. POLEMICA.

Probl. I.

An in hoc testimonio Jobæo agitur de mortuorum resurrectione post mortem, an verò de restitutione in meliorem statum pro hac vita?

§. 1. Po-

§. 1. Posterius membrum acriter propugnant plurimi ex Rabbinis Aben-Esdra, Levi Ben Gerson, Salomon Trecensis, Abraham Ben-Peritsot, Nehemanides, Maimonides, Abravaniel, Josephus Albus Soriensis, Menasseh Ben-Israel. Qvos seqvuntur ex Calvinianis, Joh. Mercerus in comm. fol. 78. Joh. Drusius in h. l Hugo Grotius in Annotat. h. l. Sixtinus ab Amama in Antibarbaro Bibl. pag. 666. l. 3. Vorstius P. 2. Responsi ad Sladum pag. 97. Gerhard. Johan. Vorstius in dispp. Theologico Histor. p. 177. Ex Photinianis Enjedinus in Explic. LL. Vet. & N. Test. pag 51. eandem sententiam cum reliqvis tenet. Cum qvibus nimis infeliciter & præcipitanter, easdem tibias inflat ex nostratibus unicus M. Henr. Kipping. Scholæ Basilicæ Bremensis Collega, in Diatriba VIII. annexa auctariis ad Epitomen Histor. Ecclesiast. D. Joh. Pappi pag. 344. seqq. Prius membrum viriliter defendunt ex Calvinianis Tremellius in notis Joh. Piscator in notis pag. 174. seqq. Zanchius l. 1. de tribus Elohim, lib. 2. c. 4. Batavi Scholiastæ, Paræus ad h. l. Castellion in notatis biblicis, Maresius in animadversionibus contra Volckelium l. 2. pag. 91. seqq. Ludov. Grocius l. 2. Syntagm. Theolog. pag. 340. seqq. Joh. Coccejus Comment h. l, pag. 270. seqq. Ex Pontificiis Sanctius, Pineda Comment. h. l pag. 98. seqq. Jansonius, Lyra, Cornel. à Lapide. Ex orthodoxis B. Hutterus in LL. CC. Theol. Artic. 24. de resurrect. mortuorum l. 1. pag 883. B. D. Meisnerus in disputat. de Fide Jobi Anno 1616. Witteb. habita, D. Gerhardus p. m. t. 8. LL. CC. L. 30 de resurrect. mortuor. pag. 980 985. D. Waltherus b. r. in Harmon Bibl. p. B. D. Röberus disp. 21. Colleg. Theol. de resurrect. mort. Exc. D. Danhauerus in Hodosophia Christiana pag. 935. seqq. Magnif. Dn. D. Abrah. Calovius in Annot. Bibl. ad Jobum contra Hugonem Grotium. Friedlieb. in Annot. ad h. l. art. 2. classe 3 pag. 484. seqq. Raupius t. 2. Theol. Polem. pag. 66. seqq. Prücknerus in Vindiciis Biblicis Vet. & N. T. superiori Anno typis ex scriptis, specialiter in cap. 19. Hiob. pag. 211. seqq. Hos Arietes qvis agnus non seqveretur?

§. 2. Adducemus autem pro obtinenda sententia nostra fundamenta immediatè & directè ex textu fluentia, qvalia sunt.

I. Plena & indubitata scientia Hiobi, qvam cum cæteris fidelibus communem habuit. Unde argumentamur: Qvodcunqve neqve Jobus neqve alii credentes certò & infallibiliter scive-

sciverunt, de illo hæc confessio Jobi exponi non potest. Jam verò qvod convalescere & bona amissa recuperare possint nec Jobus nec cæteri fideles certò & infallibiliter sciverunt. E. Major patet Jobus enim in antecessum monet, se non tantum certo certius scire & credere, qvæ præpositurus erat, sed etiam alios cum ipso hæc credere & scire. Et hæc est ratio, cur particulam copulativam adhibeat. Minorem, qvia indiget, etiam probamus inde, qvia nullibi vel Jobo vel aliis facta promissio vel generalis vel specialis de restitutione sanitatis & bonorum. Si dicant oppugnantes, hoc ipso in loco factam esse promissionem Resp. (1) Petitur principium. (2) Jobus potius desperavit de hac restitutione, qvam ut eam certò sibi polliceri ausus fuerit, uti ex plurimis constat locis, pauca verò in medium attulisse sufficiat, Hiob cap. 7. vers. 7. libelli sui inqvit: *Ventus est vita mea, non revertetur oculus meus, ut videat bona!* E. brevi ex hac vita se abiturum ratus est & felicitatem status temporalis planè non credidit. Qvod ulterius in hoc cap. 19. vers. 10. clare testatur, inqviens: *Destruxit me undiqve & fecit recedere à me sicut lignum spem meam:* Er hat mich zerbrochen umb und umb/ und lässet mich gehen und hat ausgerissen meine Hoffnung wie ein Baum. Sed excipit non nemo Jobum loqvi instar eorum, qvi magno animi mærore constricti nunc sperant, nunc desperant, & expectatione futurorum suspensi, permiscent desiderium pavori, mala bonis. Qvod igitur uno loco desperat pavore tetrico affectus, illud altero loco sperat, desiderio ingenti fultus Resp. Concedendo eqvidem, Jobum summo animi mærore fuisse correptum, interim tamen non planè mentis inopem aut sana ratione spoliatum fuisse, ut ignoraverit, qvid loqveretur, qvin potius ea, qvæ in corde conceperat & foverat, sincere & candide ore emserit. Cum itaqve Jobus hinc inde dicit, se brevi tempore vitam cum morte esse commutaturum, omnemqve suam spem esse eradicatam, tum veram mentis suæ sententiam exponit & revera ita statuit. Qvando igitur in præsenti loco rei certæ, sibiqve infallibiliter cognitæ mentionem injicit, tum nullo modo ad bona temporalia, sed unice ad cœlestia oculos ipsum reflectere in proclivi est. Qvid qvod alias hæc, qvæ inde exsurgit, enantiophania componi neqveat, nisi dicatur Jobum de bonis temporalibus desperasse, contra verò æterna bo-

na

na & futuram corporis resurrectionem sperasse. (3) Si Jobo peculiariter revelatum, alii id non una cognovissent, qvod tamen innuit copula. Nihil habent adversarii qvod regerant, nisi qvod copulam adversative per tamen, sed, velint explicatam. Verum Resp. (1) non esse recedendum à nativa significatione vocum, nisi urgens aliqva necessitas afferatur. (2) Nulla erit connexio, si adversativè vertatur. Jobus enim postulat attentionem in antecedentibus: Utinam scriberentur verba mea in plumbo & silice ad perpetuam rei memoriam, qvomodo jam his respondebit copula adversativa: *sed ego scio*? Longè rectius cohærebit sensus, si ita verba ponantur: Hoc est qvod probè obversari velim, qvod & ego, uti reliqvi fideles, sciam credamqve Redemptorem meum vivere. (3) Annotari velim nervum argumenti non tam in copula qvàm in verbo ידע residere, ideoqve parum interesse, qvo sensu conjunctio ו explicetur.

§. 3. Nomen גאלי. Ex qvo tale nectimus argumentum: Si per nomen Redemptoris specialiter Christus intelligitur, ejusq; resurrectio una indigitatur, seqvitur qvod hic locus generaliter de DEO sanitatem restituente non possit explicari, sed potius de beneficio Christi homines resuscitantis. Atqvi E. Majoris conseqventia ne qvidem ab ipsis adversariis vocatur in dubium. Minoris probationem, cum contineat κρινόμενον, subjungemus in peculiari, qvæ hanc excipiet, qvæstione.

§. 4. Vox אחרון. Unde nascitur nobis hoc argumentum: Ejusmodi qvid Jobus intelligit, qvod novissimo tempore, & ita post longa annorum spatia futurum erat. Ast restitutio sanitatis & bonorum non est facta novissimo tempore post plurimos annos. E. Major claret ex gemina significatione אחרון. Min. probatur ex Hiob. cap. 42. vers. 9. & 10. ubi apparet Jobum statim post colloqvium cum DEO convaluisse. Nec magni ponderis & roboris est, si dicant colloqvium hoc post multos demum annos, adeoqve tempore novissimo à sermone Jobi cap. 19. fuisse institutum. Hoc enim nunqvam hactenus probari potuit, nec etiam probabile est, cum in continua narratione colloqvium Jobi cum amicis subsecutum sit colloqvium & responsum Dei, qvando Jobus pristinæ sanitati restitutus est. Unde ipso sole clarius emicat paucas

 can-

tantùm intervenisse hebdomadas, qvæ tamen tempus novissimum efficere, qvis assereret?

§. 5. Phrasis, super pulverem stabit. Ex qva infero hoc modo: Qvodcunqve significat vel adventum in carnem vel resurrectionem è mortuis vel reditum ad judicium, illud non potest accipi de restitutione bonorum ad hanc vitam. Atqvi hæc phrasis. E. Minorem, de qvocunqve etiam subsumatur membro, supra probavimus & opiniones contrarias refutavimus. Major sua luce radiat. Eugubinus hic movet dubium, dicitqve hanc phrasin in Psal. 113. 7. denotare exaltationem ad honorem. E. & in hoc loco. Sed Resp. A particulari ad universale infirma ducitur collectio. Qvia (2) Jobus in mente sua honoribus mundanis, qvæ apparentes tantum sunt, jamdudum valedixerat & contra beatitudinem cœlestem, qvam veram & perfectam sciebat, anxie qvæsiverat.

§. 6. Dictio: Postqvam corroserint carnem. Ex qva seqvens deducatur argumentatio: Qvicunqve commemorat aliqvid, qvod post mortem demum futurum est, ille sane non loqvitur de actione & peculiari privilegio hujus vitæ. Atqvi Jobus. E. Major contra omne dubium est. Minor dispalescit ex eo, qvod Jobus dicat vermes corrosuros carnem suam, qvo ipso indicatur mors & omnimoda corruptio atq; totalis corporis destructio. Talis ergo corrosio non potest fieri nisi post hanc vitam & hominis obitum. Hinc Jobus cap. 17. 14. æqvipollenti locutione corruptionem expressit: Putredini dixi pater meus es, mater mea & soror vermibus.

§. 7. Nostram sententiam de resurrectione itidem confirmant & contrariam destruunt, si עורי in significatione verbali accipiatur, יקום denuo assumatur & נקפו à יקף derivetur. Cum verò nulla sententia sit, qvæ non, licet clarissima, suas tamen cogatur pati exceptiunculas, hinc qvoqve non latet qvenqvam obvertere: Jobum sermonem fecisse de carne per morbum corrosa. Huic autem ut occurramus, dicimus (1) morbum nunqvam totaliter corpus corrodere neqve carnem destruere posse (2) tale qvid hic indigitari, qvod novissimam Redemtoris stationem conseqvatur, adeoqve nullo modo de infirmitate & sanitate corporis hic agi.

§. 8. Verba

§. 8. Verba illa: Et in carne mea videbo Deum. Unde sponte fluit hæc ratio: Qvicunqve dicit se in, de, vel ex carne sua esse visurum Deum, is verba facit de statu post hanc vitam. Visio enim talis nemini in hac vita contingit, qvia erit corporalis & fiet de facie ad faciem, cum Jobus clare dicat: Videbo his oculis meis, qvos in corpore seu capite jam me circumgestare cernitis. Atq. Jobus. E. Adversarius noster negat conseqventiam majoris propositionis & ad probationem hoc responsi dat, Jobum omnino in hac vita DEUM vidisse, siqvidem c. 42. v. 5. libelli sui expressa verba extent: oculus meus vidit te. At Resp. dist. inter visionem, qvæ est cap. 42. & illam, qvæ cap. 19. Differunt namqve multifariam, ut (1) objecto. Illa agnoscebat pro objecto speciem visibilem & ad tempus apparentem; hæc Redemtorem naturaliter vivum & resuscitatum. (2) adjunctis, & qvidem (α) adjuncto modo. Illa Jobo fuit incognita, ipsiqve non exspectata accidit; hæc promissa, certoqve & infallibiliter sperata. Illa fuit simplex, hæc salutaris & beatifica. (β) loco. Illa refertur ad Deum ex turbine loqventem; hæc ad Messiam super pulverem stantem (γ) tempore. Illam expertus est Jobus brevi interveniente mora cum adhuc in terris versaretur; hanc demũ post novissimum diem resurrectione tam Messiæ qvam sui ipsius facta.

§. 9. Non possum hic sicco præterire pede, multò minus reticere depravationem superioris phraseologiæ commissam ab eodem antagonista statuente per videre Deum exprimi sanitatem, favorem & gratiam Dei in hac vita. Resp. (1) Esse contradictoria, si Jobus voluerit, qvod post corrosionem seu sui excoriationem h. e. mortem integer vivus & vegetus sensurus sit gratiam Dei in hac vita (2) multoties spem restitutionis, qvæ mirabilis & incredibilis fuit, planè abdicaverat in hoc ævo, ut etiam mente captos pronunciet eos, qvi aliud qvid sibi persvadere satagant atqve præsumant. (3) Si propius sensus locum optime habere potest, qvid vetat, si rejiciamus Metaphoricum?

§. 10. Drusius & Mercerus existimarunt, Videbo Deum, idem significare ac agnoscam (1) Dei potentiam. Sed Resp. (α) illum, qvem verba ingenerant, sensum in majori æstimio & pretio habendũ esse. Non potest igitur horum verborum talis esse sensus, qvem adversarii afferunt, qvia sic alia verba substituenda forent,

e. g. וּבִבְשָׂרִי אֲנִי רֹאֶה יַד אֱלֹהַּ Et in carne mea videbo manum DEI. (β) agnitio divinæ potentiæ non poteſt hic ſtare, qvia ea fit oculis mentis, non corporis, ſicuti viſio Hiobi. (2) Dei providentiam & beneficentiam in temporalibus. Reſp. (α) Jobum non potuiſſe ad eam provocare, qvia de hac ipſi nihil certi conſtitit. (β) ſin indicare Jobus Dei providentiam vellet, cur non ita potius efferret וּבִבְשָׂרִי אֲנִי רֹאֶה פְּקֻדַּת אֱלֹהַּ, Et in carne mea videbo viſitationem Dei, uti extat cap. 10.12. (γ) non opus erat tanta verborum pompa confirmare, qvod videat Dei providentiam, cum hac de re inter partes non diſceptabatur. (3) Dei mirabilem clementiam, qvod Jobus in tot tantisqve malis non pereat. Reſp. (α) Hiob diſſerit de viſione poſt corroſionem h.e. poſt mortem. Qvomodo igitur poteſt intelligere viſionem mirabilium ante mortem? (β) rem futuram inſinuat, ac cognitio mirabilium erat præſens. (γ) contraveniunt hæc menti Jobi, qva maxime conqverebatur, ſe ſervari ad carnificinam & ignominiam, cap. 6.8. & 6. c. 7.21. Non igitur cedit hoc in ſolatium Jobi.

§. 11. Vatablus & R. Levi dicunt, Videbo de carne mea Deum, exponi debere: in carne mea ſpecto judicium & ſeveritatem Dei. Reſp. (α) Hiob non loqvitur de re præſenti ſed futura. (β) neq; ſolatur neqve erigit hæc gloſſa Jobum. (γ) qvomodo hæc qvadrant cum exordio Orationis Jobeæ; Novi Redemtorem meum vivere, ſi jam ſubjiciat, ſentio iram Dei in me.

Amphora cæpit
Inſtitui, currente rota cur urceus exit?

(δ) Hoc pacto qvivis ſceleſtus, qvando virgis cæditur, dicere poſſet, ſe videre Deum de carne ſua, qvia ſentit afflictionem & pœnam. (ε) nuſpiam in ſacro Bibliorum volumine vox בשׂר caro legitur uſurpata pro afflictione in carne. Siccine alias confuſio ſubſtantiæ cum accidente introduceretur?

Buxtorf. Synag. Jud. c. 1. §. 12. Sermonis occaſio tandem vim haud vulgarem indit noſtræ ſententiæ. Amici etenim Jobi Bildad & Zophar ſecundum ejus temporis inter Judæos receptã ſententiã ipſi, qvem pro impio habebant, omnem beatam ſpem reſurgendi denegabant, Job. 18. v. 5. 13. 14.

13.14. Conf. c. 20. 9. ubi Zophar spem Jobi de resurrectione qvasi refutat. Illis respondet Jobus: Licet vos me resurrecturum tanqvam impium negetis, ego tamen firme spero, qvod Redemtor meus sit me de pulvere terræ suscitaturus.

§. 13. Jacto hactenus solido fundamento orthodoxia auctoratus non vereor cum adversariorum cohorte congredi. Et qvamvis non ignorem eos tenacissimè sententiæ suæ inhærere & nimis rigidos opinionum suarum esse defensores, ut facilius lupo ovem, milvo gallinam, aqvilæ prædam, Herculi clavam extorqveas, qvam illis veteres suas avias à pulmone, ut Satyricus loqvitur, revellas, tamen cum instituti mei nunc sit, tentabo, anne eorum rationes eradicare, tela, qvibus nos alioqvin maxime infestare solent, excipere; atqve objectionum fluctus propulsare qveam.

§. 14. Qvi in contrariam à nobis abeunt partem, allegant verba Job. 42. vers. 12. Deus benedixit Jobo in novissimis magis qvam in initio ejus. Hinc inferunt Jobum cap. 19. de temporali felicitate sermocinatum esse. Ast qvo minus hæc illatio tolerari possit, obstat (α) distinctio inter vocabula, אחרון & אחרית. Illud, qvod cap. 19. habetur, adjectivum est, adeoqve subaudiri debet substantivum, qvod esse potest vel Christus, vel dies, vel potest etiam adverbialiter verti per postremo. Hoc, qvod cap. 42. legitur, est substantivum & denotat finem vel postremitatem vitæ Jobeæ, ut hic appareat sensus: Deus magis benedixit Jobo in annis vitæ posterioribus qvam in prioribus ante pressuras. Straminea igitur est conseqventia: Deus benedixit Jobo ultimo vitæ tempore. E. cap. 19. non agitur de resurrectione mortuorum. (β) Adversarii nimis frigide & fluctuanter disputant, qvando vocabulum novissimi mox ad dies Jobi, mox etiam ad Deum Patrem referunt, utpote qvi solus tamen, licet mors omnia occupaverit, novissimus & postremus in vita sit futurus & æternum perstaturus Esa. 44. 6. Sed non penetrare possum, qvomodo hæ expositiones consistere possint? Nam si agnoscant vocem novissimi pro attributo divino, qvi accommodari poterunt conditioni Jobeæ in eodem argumenti genere & contra?

§. 15. Tuentur se qvoqve contradicentes Paraphrasi Caldaica, qvod illa legat: Videbo bonum Dei i.e. felicitatem temporalem. Resp. (α) Qvi ita legunt, volunt decipi. E. decipiantur. In textu enim non habetur טוֹב bonum, sed תוּב iterum. Confundunt itaqve literas, qvando obiter saltem & intuitivo oculo textum adspiciunt. In aprico qvidem est apud R. Nachman. Legi טוֹב sed malè; præterea tamen & ille vertit per iterum, ac si esset תוּב. (β) Non debet verbaliter verti תוּב per reversus est, sed adverbialiter per iterum. Extat enim apud Ebræos regula, qvam notavit Schindler. in Lex. col. 1816 שׁוּב constructum cum alio verbo valet iterum, rursus, ut Ps. 71. 20. Es. 6. 13. Hoc loco autem præcedit verbum, Videbo E. non ut nomen, neq; ut verbum, sed ut adverbium debet explicari. Præsupponi autem hic debet טוֹב habere maximam cognationem cum שׁוּב. Chaldæi enim ש mutant in ת. (γ) ex Lexicographis facilè demonstrari potest תוּב freqventer apud Chaldæos absolutè positum esse pro rursus, denuo, &c. (δ) Posito Chaldæum interpretem vertisse videbo bonum Dei, nihil tamen qvicqvam contra nos obtinerent, qvia authoritati alias opponimus, septuaginta nempe & reliqvos Interpretes.

§. 16. Argumentantur pro porro in contrarium à majori ad minus: Si Apostoli & discipuli non crediderunt resurrectionem, priusqvam Christi redivivi qvotidianis manifestationibus fuerant certiores redditi, multò minus Jobus & alii fideles V.T. crediderunt resurrectionem. Discipuli enim Christi indies magis magisq; ab ipso edocebantur. Resp. (α) per instantiam. Discipuli non crediderunt Christum pro transgressionibus humani generis morte sua satisfacturum esse. Qvis verò vellet hoc negare de Jobo & reliqvis V.T. fidelibus, si consuleret saltem cap. 53. Es. (β) Directè negamus conseqventiam. Discipuli enim præconcepta opinione de terreno Christi regno erant fascinati. Unde ex accidenti mysterium illud, qvod rationis acumine prorsus impervestigabile, de resurrectione illis fuit obscurum. Hinc Christus in itinere Emaunthico per interpretationem Mosis & Prophetarum suum per perpesfiones in gloriam introitum demonstrat, & amentiam tarditatemqve discipulorum, qvi ex scriptura ista non intelligerent, increpat. (γ) Christus resurrexit tertio die secundum scripturas 1. Cor. 15. E etiam credentes

tes V.T. qvia habuerunt scripturam, non potuit latere prorsus futura Christi resurrectio. Huc facit dictum Davidicum Psal. 16. 8. cujus explicatio habetur Act. 2. 17. dictum propheticum Os. 6. 2. typus Jonæ c. 2. Conf. Matth. 12. 20.

§. 17. Objiciunt nobis ultimo authoritatem Rabbinisticam. Rabbini, inqvit noster Rabbinizans, non agnoscunt h. l. resurrectionem, adeoqve, cum Saducæos & Karæos refellunt, qvi resurrectionem carnis negabant, dicta alia, qvæ aliqvam in speciem eò referri possunt, videas eos undiqve librorum sedulo conqvirere, at locum Jobi nemo affert, imò commentarii eorum tantùm de restitutione ad præsentis vitæ bona annotant. At Resp. (α) Perversos & contumaces Judæos in puncto hoc religionis gravissimo non esse consulendos præ christianis, qvia destituuntur epicrisi divina nec habent spiritum Dei. Rimantur resurrectionem, ubi nullum ejus vestigium, contra in locis, ubi perspicue proponitur, cœcutiunt & hallucinantur. Deinde non penetrarunt totam causam Jobi, qvia non intelligere volunt promissiones evangelicas, adeoq; nulla admiratione dignum, eos à vero testimonii hujus sensu aberrasse. Pleriq; insuper ambigunt de carnis resurrectione, vel ad minimum de statu piorum exgentibus in resurrectione, qvalis erat Jobus. Accedit qvod qvidam ex præfractis Judæis sancto Dei viro talem affingant opinionem, qvam ne qvidem per febrim somniavit, nimirum ipsum ob vehementiã doloris mortuorum resurrectionem negasse. Qvid igitur sani ab his expectandum? Vid. Menasseh Ben-Israel l. 1. de resurrect. mort. c. 16. §. 132. Colligunt, ne gratis id dixisse videantur, qvidem dicta qvædam eo, ut existimant, facientia, ut Job. 7. v. 9. c. 15. v. 12. Verùm, ut rectè notat Menasseh epist. de resurrect. mort. ipse R. Moses dicit illa dicta intelligenda esse secundum naturæ ordinem. Naturaliter enim mortui non resurgunt ad hanc vitam. (β) Assumunt id ut verum, qvod tamen est falsum. LXX. enim, qvi Judæi procul dubio fuerunt, interpretantur locum hunc de resurrectione mortuorum in verbis: ἐπὶ γῆς ἀνασῆσαι τὸ δέρμα μȣ τὸ ἀνθλȣ̃ν (unde Latinum exantlare descendit) ταῦτα, ut in terra resuscitet pellem meam, qvæ hæc exantlat, in die scilicet pantacritico. Notabile qvoqve est apud eosdem Seniores in ultimo Jobi capite legi verba: Mortuus est Job senior & plenus dierum. Scriptum

est

est autem, nempe cap. 19. (alio enim eos respexisse nuspiam constat) ipsum rursus resurrecturum, cum qvibus resurgit Dominus. De his verbis refert ex Niceta Pineda pag. 104. qvod neqve apud Ebræum, neqve apud Aqvilam & Symmachum legantur, interim tamen apud Theodotionem, inqve editione Sixti vaticana habeantur, & ab Origine in Epist. ad Africanum & Clem. Rom. l. 5. constitut. c. 6. citentur. (γ) R. Simeon Ben-Jochai, qvando explicat illa verba: Hæ sunt generationes Noæ. R. Sam. Marochianus in epist. de adventu Messiæ ad Isaacum Israelitam c. 11. item R. Hakkadosch, qvem Judæi solent appellare Magistrum nostrum sanctum, in libro, qvi גלי רזיא h. e. revelator arcanorum inscribitur, nostram ex Hiobi cap. 19. deductam sententiam de mortuorum resurrectione suo calculo approbant, notante Galat. l. 3. de arcan. cath. verit. c. 19. Si verò qvis dicat, librum illum, qvi arcanorum Revelator appellatur, esse dubiæ & incertæ authoritatis, unde probabit? Apud eundem Galat. cap. 27. antiqva, qvæ non parum adversarium torqvere potest, Thalmudistarum legitur traditio, mundum adspecturum esse Deum oculis corporeis, populosq; digito sibi invicem ostensuros. (δ) Idem l. c. in commentariis Judæorum hoc dictum de Resurrectione carnis explicatũ inveniri probat ex Beretschit Ketanna h. e. expositione Genesis minoris, super illud Gen. 18. Apparuit ei Dominus, ubi hæc habentur verba: Scriptum est (Job. 19.) Et rursus vel postea pelle mea circumdabuntur ista & ex carne mea videbo Deum. Anteqvam ab hoc colo abeam, contra adversarium (ε) adducam, qvod memorat Pineda ad vers. 26. Rabbinum nempe sexagenarium, qvi Constantinopoli, Venetiis & Romæ Judæos docuerat, initio præsentem locum de restituenda sanitate explicasse, ast post conversionem & ulteriorem sui informationem nostram comprobasse sententiam. Ex dictis igitur satis superqve liqvet & luce meridiana clarius apparet, frustraneo imo impudenti ausu à Grotio, Enjedino, Ochino, l. 1. dial. 2. eorumq; seqvacibꝰ obverti, acsi Rabbini hoc testimonium nunqvam & nullibi de resurrectione interpretati fuerint.

Probl. II.

Quis in præsenti loco per Goelem veniat intelligendus; an DEUS Pater, an vero Christus θεάνθρωπος?

§ I. An-

§. 1. Anteqvam mentem nostram exponamus circa præsens ζήτημα, in antecessum hic monere lubet, illos authores, qvi in qvæst. præced. pro posteriori certarunt membro, hic, ut sententiam suam qvodammodo pallient, anteriorem problematis nostri partem arripere. Sed hos Sisyphi saxum volvere, jam jam demonstraturi sumus.

§. 2. Nos proinde per Goelem nullum alium præter mundi Messiam intellectum volumus, sed, ut hanc nostram thesin corroboremus, firmissima aliqvot argumenta partim ex textu, partim aliunde erunt desumenda. Dicimus igitur

I. Qvic. oculis corporeis potest videri, is per Redemtorem proprie intelligitur. Atqvi non Pater, illius enim essentia est invisibilis, sed Christus Filius Dei incarnatus. Nam is verum corpus habet, & die novissimo tam â piis qvam impiis conspicietur Zach. 12. 20. E.

II. Qvic. ex mortuis resurrexit & vivit, is est Redemtor. Atq. Filius, non Pater. E. Si regeras, Deum qvoq; absolute spectatum vivere. Resp. dist. (1) inter vitam naturalem & supernaturalem. (2) inter vitam ultimis temporibus futuram : & æternam. De posterioribus distinctionum membris valet objectio.

III. Qvic. defunctos ex mortuis in vitam resuscitat, is proprie nomine Redemtoris hic venit. Ob hanc enim causam Jobus spem suam ponit in Redemtore, & qvam certo hic resurrexit, tam certo se resurrecturum credit. Atqvi Christus, juxta evidentia scripturæ testimonia, Joh. 28. 29. Ph. 3. 20. & exempla, Matth. 9. 25. Luc. 7. 14. Joh. 11. Matth. 27. E.

IV. Qvic. est directum, immediatum & verum veræ & salvantis fidei objectum, is proprie gaudet titulo Redemtoris. Nam si scire Jobi nihil aliud est qvam credere, ut constat ex Es. 53. 11. Joh. 17. v. 3. fides ibi expresse appellatur notitia, seqvitur utiq; qvod per Redemtorem intelligatur fidei objectum. Atq. Christus Fides enim non generaliter Deum, sed specialiter Christum apprehendit, uti ad oculum patebit, si saltem in Johanne cap. 1. v. 12. evolvatur. E.

V. Qvando verbum גאל vel inde derivatum nomen ipsi Deo tribuitur, tum immediate secunda Trinitatis persona intelligi debet, nimirum Filius, qvi propterea incarnatus est, ut nos sub tyrannide Diaboli incarceratos per pretiosum suum sangvinẽ redimeret. Atq. idipsum hic fit. E. Major est regula Philologorum peritissimorum &

fundatur in exemplorum inductione, ut Gen. 48. 16. Angelus הַגֹּאֵל qvi redemit me ab omni malo. Ubi notandum angelum illum non esse creatum, sed increatum, np. ipsum Dei Filium. Vox enim גֹּאֵל nuspiam in universis Bibliis angelo creato tribuitur, observante Exc. Havemanno, Patrono meo summe sancteq; venerando, in Theogn. c. 4. §. 7. it. Ex. 15. 13. duxisti populum, qvem redimisti. Hæc eductio claris verbis Christo tribuitur, 1. Cor. 10. 3. & 9. Addatur Os. 13. 14. De manu inferni vendicabo eos. Hæc victoria Christo adscribitur 1. Cor. 15. 55. Item Jer. 31. 11. Redimit Jehovah Jacob. Unde non malè colligitur, si credentes in V. T. Deum vocando Redemtorem, singularem respectum habuerunt ad Christum, ut venturum Messiam & Redemtorem specialiter consideratum, seqvitur Jobum, cum summis angustiis & calamitatib9 domesticis confligebatur, idē fecisse. De Minore supra allati argumēti si cuipiā dubium suboriatur, inspiciat ipsius textus v. 26. & sic conclusioni suā non denegabit veritatē.

VI. Cuicunq; conveniunt qvinq; illa, qvæ vulgo numerare solēt, reqvisita veri Redemtoris, is propriè est Redemtor, atq; à Jobo hic specificatur. Atq. soli Christo. E. Majorem nemo facile negaverit. Minor qvoq; claret. Nam Christus Redemtor (1) est noster proxim9. (2) consangvinitatis jure nos redemit. (3) injusto possessori prædam eripuit. (4) huic nullum pretium solvit. (5) sangvinem pro redemtionis pretio vero Domino solvit. Cum igitur hæ leges recensitæ scripturæ & fidei nostræ sint analogæ, inconcussa sanè fortalitii instar manebit conclusio.

VII. Qvic. nos solvit à peccato & ab ira Dei, illum Redemtorem Job9 intelligit. A. Christ9 &c. uti hinc inde scripturæ dicta testātur, tum etiā LXX. Interpretes, dum ita verterunt: οἶδα ὅτι ἀέναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν μέλλων. Scio ego, qvod ætern9 est, qvi me solvere debet E.

IIX. Qvicq. notat פָּרִיקִי, id etiam גֹּאֲלִי. Atq. illud significat Redemtorem secundum excellentiam, qvi est unicus & solus Christus. Etenim is factus est Pater & Frater noster, Proximus & Consangvineus, Dominus & Amicus noster, ad qvem spectat jus redimendi nos ex faucibus inferni, mortis & diaboli. E. & hoc. Majoris consequentiam stabilit testimonium Targum, qvod, ut id observavit Schindl. in Lex. Pentagl. f. 267. loco גֹּאֲלִי legit פָּרִיקִי. Idē fit Es. 59. 20. Et veniet ad Sion Redemtor. Ebræus codex hic habet גֹּאֵל, Targum

autem

autem פָּרֶק. Antiqva editio legit זֶה הַמָּשִׁיחַ Iste est Messias. Ab hac radice descendit vox qvædã, qvæ legitur 1. Tim. 2. 6. semet ipsum dedit pretium phurkono, redemtionis, it. Luc. 1. 71. dhiphrkun ut nos redimeret ab inimicis nostris. Unde nomen פָּרֶק vel פָּרִיק Redẽtor oritur. Min. est in confesso, & sic recte qvoq; infertur cõcl.

§. 3. Adversarii, Rabbini imprimis & Ebraizantes, ne videantur victas nobis dare manus, reponunt per Goelem Jobi posse intelligi communi ratione Assertorem & Liberatorem. Resp. (α) neg. Qvia Jobus vocem גאל cum delectu adhibet & innuit talem Redemtorẽ, qvi noster propinqvus & frater, qvi carnem & sangvinẽ nostri causa assumsit, qvi pro nostri redemtione lytrum interposuit. Et hæc est nativa vocis גאל significatio, qvam in scriptura obtinet. Vid. supra CLASSIS I. paraphr. Inde etiam est, qvod Theodotio verterit ἀγχιστεύς μου, Proximus meus. (β) Licet concedamus radicem גאל aliqvando generaliter de Redemtore & redemtione accipi, attamen redemtio per sangvinem Christi facta, tunc semper præsupponitur tanqvam causa & fundamentum alterius liberationis. Si igitur alicubi liberatio corporalis, qvæ à Christo Redemtore facta sit, exponatur, primario tamen & peculiariter à spirituali liberatione Goel appellatur. Hæc enim superat illã ob virtutem redemtionis, qvæ facta est per sangvinem Christi effusum, qvia extra hanc nulla spes ullius etiam Redemtionis foret. Non est in ullo alia salus, nec aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, per qvod oporteat nos salvari Act. 4. 12. Verum regerat qvis: Nos, nõ Jobũ, nec alios sanctos V. T. debere in nomine Jesu salvari. Resp. Aut illi aliũ vindicem habuerunt, aut plane Redemtore caruerunt. Non prius, qvia tum foret in alio salus; neqve posterius, qvia Jobus asserit, se novisse Vindicem & Redemtorem suum, & per hunc se redemtum iri, per hunc à morte ad vitam, à pulvere ad videndum Deum se vendicandum sperat.

§. 4. Aben Esra Goelem Jobi dicit hominem qvendam vulgarem & simplicem esse, qvi causæ non sit iniqvus, sed benigne de ipsa judicet. Resp. (α) Talis extenuatio vocis גאל contrariatur Spiritui S. in scripturis loqventi, ut & mẽti Jobeæ. Non enim verba divina ita debent explicari, ut minus sit in sensu qvam in sono. (β) Redemtor est Christus, qvod copiosis verbis ex textu hactenus est demonstratum.

§. 5. Palmaria ex oppugnantium objectionibus hæc est, qvando dicunt, DEUM Patrem dici Redemptorem, 2. Sam. 7. 23. Es. 60. 61. Resp. (1) neg. Conseq. Pater alicubi dicitur Redemtor. E. etiam in hoc loco. A particulari enim ad universale velle concludere est prodere ignorantiam in Logicis. Eodem enim modo (qvod instantiæ loco adduco) Act. 7. 35. Mosi tribuitur nomen Redemtoris, neqve tamen statim inde seqvitur Hiobum de ipso hic sermonem instituere. (6) in locis citatis agitur de Filio Dei. In antiqvo enim fœdere Messias etiam fuit caput & Protector ecclesiæ, eamqve ex calamitatibus corporalibus & spiritualibus vendicavit. Sic. 2. Sam. 7. dicitur, qvod liberata & reducta sit gens Israelitica ex dura captivitate Ægyptiaca. Illa vero redemtio & eductio haud obscure adscribitur angelo Domini, qvi de medio rubi ardentis vocavit Mosen Ex. 3. 4. & sine dubio non creatus angelus sed verus Deus fuit, qvod ita demonstro: Qvic de medio rubi ardentis vocavit Mosen, is est verus Deus. Atq. Angelus Domini. E. Connexio majoris firma fiet. Talia etenim de illo dicuntur in textu, qvæ angelo creato nunqvam competunt. Vocatur enim Jehova & Elohim v. 14. 15. qvæ sunt nomina Dei propria & peculiaria. Talia qvoq; effata & attributa ei adscribuntur, qvæ non nisi vero DEO competunt, utpote qvod viderit afflictionem Israelitarum v. 7. audiverit clamorem v. 9. Pollicetur se eos educturum servitute v. 7. Mittit Mosen ad Pharaonem vers. 10. Addatur Ex 14. 19. & 20. ubi mentio fit angeli faciei Jehovæ, utpote qvi, cum Israelitas duceret, visus sit interdiu in columna nubis, nocte in colũna ignis. Cui igitur scire interest, num ille angelus fuerit creatus an increatus, conferat haud gravatim Exod. 31. 21. & 22. ubi hæc actio ipsi Jehovæ tribuitur. Unde liceat cum Exc. Dn. Havemanno l. c. ita argumentari: Qvi præcessit Israelem in columna nubis & ignis, est Jehova. Atq. Angelus faciei Jehovæ. E. Ubi probè observandum Angelum faciei esse distinctam à Patre personam, ipsum scil. Christum, cui soli opus Redemtionis, ejusqve executio per peculiarem appropriationem competit. Ex liberalitate qvidem possumus adversariis largiri, Deum Patrem posse dici Redemtorem, sed tantum ob communitatem operis, qvatenus redemtio est opus ad extra & ita tribus deitatis personis commune, interim tamen ordo aliqvis servari debet hic, sicut in aliis externis

opera-

operationibus fieri consvevit. Ac præterea terminus operis efflagitat, ut soli Filio proprie redemtio tribuatur. Hinc (γ) ex Esa. 60. ultro colligitur, cum de resurrectione & salvatione ibi agatur, Christum indigitari, utpote qvi cum suo merito fundamentum est cujusvis liberationis.

Probl. III.

An essentiam divinam electi in altera vita sint conspecturi oculis corporeis?

§. 1. Negant id simpliciter qvidam Patres, Gregor. l. 18. mor. 36. Epiphanius hær. 70. ut & pleriqve Scholastici & Jesuitæ, Valentia t. 1. disp. 1. q. 12. puncto 8. Suaret. disp. 30. Sect. 11. n. 2. Thomas P. 1. q. 12. art. 3. *implicat*, inqvit, *contradictionem, Deum videri oculo corporeo.* E. ne qvidem absoluta DEI potentia fieri potest. Succenturiantur his qvidam ex Calvinianis. Qvibus accedit D. Calixtus Concord. Evangel. l. 2. c. 1. & imprimis tract. de Bono perfecte summo ab initio statim. Hujus anteambulonis vestigia premit. D. Hildebrand. in Colleg. priv. controv. X.

§. 2. Ut facies hominum ita & Sententiæ manebunt diversæ, hinc circa præsentem qvæstionem nostrates duo constituunt cornua. Qvi in primo agmine sunt, si de certitudine visionis corporalis, & non de possibilitate sermo sit, dicunt: Non liqvet, Amplio. Augustinus l. 22. de C. D. c. 29. & in Epist. ad Paulinam, in dubio relinqvit, nihilqve hic determinat. Qvam sententiam amplectitur: B. D. Gerhard. l. c. D. Lyserus p. m. in notis ad summar. n. 29. D. Dorschæus l. 2. in consideratione Titulor. Dei ex 1. Tim. 6. §. 32. cæteriqve nostri Theologi media incedentes via. Non esse illud pertinaciter negandum, cùm elevare possit DEUS beatorum oculos, ut ipsam DEI essentiam videant, qvia ob rationes physicas ex natura petitas infinita DEI potentia limitari & coarctari neqveat. DEUS enim potest plura præstare, qvàm nos intelligimus. Et si potest salva infinitate elevare intellectum ad intuitivam sui cognitionem, sitiqve etiam glorificatum oculum salva invisibilitate sua elevare potest ad claram sui visionem. DEUS enim increatus & infinitus non minus

 infi-

infinite distat à creato & finito intellectu, qvam ab oculo corporeo Deus incorporeus. Neqve tamen præcisè defendendum esse, aut morose & odiose urgendum corporeis oculis Dei essentiam visam iri, cum Scriptura modum visionis (num sc. mentalis, num corporalis futurus) non definiat, qvamvis Deum à beatis conspiciendum asserat. Unde B. Dorschæus l.c. An beati in vita æterna oculis etiam corporeis visuri sint essentiam Dei, ipsa vita æterna docebit. Qvi in altero agmine stant, simpliciter visionem beatam suspendunt à visu corporeo, existimantes temeritatem esse, si à manifestis Scripturæ testimoniis qvis recedat, qvorum choragus est Chytreu. in lib. de morte & vita, & Cramerus in tract. de Sublimi corporum glorificatorum mysterio.

§. 3. Hi posteriores inunctis, necesse sit oculis, inqviunt, qvi non videat Jobum cap. 19. agere de visione corporali. Adjungunt 1. Joh. 3. 2. Matth. 5. 7. (β) Urgent oppositionem, qvod scil. corporalis visio opponatur visioni fidei seu mentis atqve dicatur fieri, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον à facie ad faciem. 1. Cor. 13. 12. (γ) Provocant ad donum glorificationis, qva visus noster objecto videndo per statum gloriæ certo modo proportionetur. Hinc citant dicta Ps. 17. 15. Ego in justitia videbo faciem. Oculi enim nostri erũt Spirituales 1. Cor. 15. 44. & corpora nostra conformabuntur glorioso corpori Christi Ph. 3. 21. κατὰ ποῖον autem, non κατὰ πόσον. Non nescio qvidem adversam partem hæc dicta allata arrodere, & vulgo interpretari de interiori mentis speculatione, non de externa oculorum inspectione, ast hac ratione magna sanè pars, credas mihi, futuræ nostræ felicitatis tolleretur.

§. 4. Rationes pro negativa militant potissimum seqventes (α) Neminem posse videre Deum Ex. 33. 20. 1. Joh. 1. 18. Resp. (a) Loqvi Deum de visione in hac vita. Additur enim & vivet. (b) dist. inter hominem mortalem; & glorificatum. De his dicit Christus fore ut videant gloriam suam, Joh. 17. 24. (β) Deum esse Spiritum, Joh. 4. 24. Nullum verò Spiritum cadere sub sensum corporis, nec conseqventer sub visum. Resp. dist. inter sensum corporis in statu naturali: & glorioso consideratum. Priori modo Deus visibilis non est contra Anthropomorphitas & Arrianos. Deus enim est incorporeus, potentia autem visiva est corporea & materialis. (γ) Nullam esse pro-

se proportionem inter oculum nostrum & essentiam divinam Resp. Qvando electi sine offensione perspicue in vita futurâ Deum erũt adspecturi, non habebunt hoc ex se & proprietate naturæ suæ, sed ex dono glorificationis, cujus beneficio visus noster certo modo proportionatur objecto videndo. (δ) Omne visibile objectum est terminatum. Deus non est terminatus. E. Resp. Dist. inter visionis modum communem seu vulgarem: & supernaturalem seu gloriosum. Futura Dei visio pendet ab ipsius gloriosa dispensatione, qvæ longè diversa est à communi rerum naturalium statu. Non enim adhuc oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit. Oculus non vidit, qvia nec lux est nec color, auris non audivit, qvia sonus non est, neqve in cor nostrum adscendit, qvia cor nostrum illud ascendat, oportet.

§. 5. Cum autem hoc problema fundamentum fidei non concernat neqve attingat, potest qvis illam, qvæ sibi verisimilior & probabilior videtur, assumere sententiam. Interim hanc sibi reservet cautelam velim:

Medio tutissimus ibis.

CLASSIS III. CASUISTICA.

An mortui prorsus iidem, qvi ante erant, eadem numero & specie anima, eodemqve corpore, eademqve statura sint resurrecturi?

§. 1 Pro affirmanda sententia plurimos possemus conglomerare rationes, at in hoc genere familiam ducit illa, qvam ex Hiobi, qvæ habentur c. 19. 25. & c. 35. 21. verbis elicimꝰ. Ille enim id. numero corpus & qvidem cute, carne & ossibus suis vestitum materiam resurrectionis fore clare asserit. Argumentum in forma foret tale: Qvic. hac sua pelle circumdari & in hac carne sua Deum visum iri credit, ille ipse profecto carnem & sangvinem habebit, idemqve numero resurget. Atq. Jobus E.

§. 2. Secundam rationem suppeditat vocabulum resurrectionis, qvæ Syr. נוּחָמָא consolatio nuncupatur, qvia ea summum hominibus affert solatium. Hinc etiam in Thalmud. & apud alios Ebræos dies resurrectionis vocatur dies consolationis. Idiomate

Græco

Græco appellatur ἀνάστασις & eſt compoſitum ex ἀνὰ rurſum, iterum, & ἵσταμαι Sto. Reſurrectio igitur hoc pacto eſſet reiterata qvaſi ſtatio, ejus qvod interiit. Vid. B. D. Dietericus Inſtitut. Catech. p. m. 502. Eadem ferme verba leguntur apud Damaſc. l. 4. de fide Orthod. cap. 28 Ἀνάστασις, ait, ἐστὶ δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις. Ambroſius qvoqve cap. 19. De fide reſurrect. nativam vim iſtius vocis exprimit, dicens: Hæc eſt reſurrectio, ſicut verbi ipſius ſono exprimitur, ut, qvod cecidit, reſurgat, qvod mortuum fuerit, reviviſcat. Reſurrectio igitur non eſt nova novi corporis creatio, ſed antiqvi & mortui in vitam revocatio. Proinde idem corpus qvod per mortem cecidit, reſurget. Et hinc eſt, qvod non tantum Jobus adhibeat particulam δεικτικήν, in hac carne mea & his oculis meis, ſed etiā S. Paulus idem præſtet 1. Cor. 15. 42. & 53. ubi Pronomen τοῦτο bis repetitur, τὸ φθαρτὸν τοῦτο corruptibile hoc debet induere incorruptionem, & τὸ θνητὸν τοῦτο & hoc mortale debet induere immortalitatem. Qvodcunqve igitur fuit ſubjectum mortalitatis, idem etiam debet eſſe ſubjectum immortalitatis. Atqvi hoc corpus ex carne & ſangvine conſtans. E.

§. 3. Tertiam rationem inſinuat reſurrectio Chriſti, qvæ noſtræ eſt exemplar. Uti enim is idem corpus, qvod in hoc ærumnarum valle geſtavit, recepit, eademqve carne reſurrexit, Johan. 2. 19. Luc. 24. 39. ſimiliter & nos eadem corpora noſtra recepturos credimus. Membra enim ſeqvuntur conditionem ſui capitis.

§. 4. Argumentum qvartum deſumimus ex Pſ. 34. 21. Cuſtodit Deus omnia oſſa Sanctorum. Cur? Nullum ſanè alium ob finem qvam ut in univerſali reſurrectione compingantur, ne unum ex illis deſiderari qveat.

§. 5. Qvinto ſtabilitur noſtra opinio juſtitia Dei præcipiente, ut qvilibet in corpore recipiat, qvæ per corpus egit, teſte Apoſtolo 2. Cor. 5. 10. Unde neceſſario ſeqvitur qvemlibet in proprio corpore reſurrecturum. Notatu dignum etiam eſt illud Ambroſii c. 19. de Reſurrect. fide. Hæc eſt, ſeries & cauſa juſtitiæ, ut, qvoniam corporis, animiqve communis eſt actus, qvæ animus cogitavit, corpus effecit, utrumqve in judicium veniat, utrumqve aut pænæ dedatur aut gloriæ reſervetur.

§. 6. Sym-

§. 6. Symbola Ecclesiæ sexto pro nostra sententia citari posse nullus dubito. Sic Apostolorum symb. dicit: Credo resurrectionem carnis. Ecclesiæ Africanæ, ut testatur Cyprianus, hunc articulum solitæ sunt ita proponere: Credo resurrectionem hujus carnis. Qvid? qvod Athanasianum symbolum, si penitius atq; intentius inspiciamus, idem subseqventibus adstruat verbis: Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.

§. 7. Nec parum juvat nos in puncto hoc controverso consensus Patristicus. Nam. Hieron. Ep. 61. scribit: Fidem Ecclesiæ apertissime confitebor: Resurrectionis veritas catholica sine carne & ossibus, sine sangvine & membris intelligi non potest. Hisce adjungimus verba Athanasii de vita Antonii: Confido in Domino, qvia necessario resurrectionis tempore Hoc corpusculum resurget incorruptum.

§. 8. Ut vero in enucleatione hujus qvæstionis sidere velificemur dexteriori circa statum controversiæ prænotari volumus nos non qværere de identitate qvoad vitiosas circumstantias, sed qvoad ipsam substantiam, qvæ resurgere debet. Huc spectant verba Tertull. de resurrect. carnis cap. 51. Cujuscunqve membri detruncatio vel obtusio, nonne est mors membri? Si universalis mors resurrectione rescinditur, qvid partialis? Si demutamur in gloriam, qvanto magis in incolumitatem. Monoculus igitur cum uno oculo resurgere non debet.

§. 9. Observandum tamen præterea & hoc est, qvod August. in Enchir. ad Laurent. c. 88. discrimen faciat inter corpora damnatorum & salvandorum. De illis non vult disputare, an cum defectu naturæ sint resurrecturi. Verba ipsa lubet huc transcribere: Utrum, inqvit, damnati cum vitiis & deformitatibus corporum suorum resurgent, qvæcunqve in eis gestarunt, inqvirendo laborare, qvid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, qvorum erit certa & sempiterna damnatio.

§. 10. Hic multa & magna se offert contradicentium cohors & in contrariam sententiam discedunt Ethnici & Turcæ, qvi nullum fidei articulum vehementius oppugnarunt, qvam hunc, teste Eusebio l. 5. Hist. Eccl. c. 1. Minutius Felix in Octavio refert de Cæcilio, qvod articulum de resurrectione fabulam anilem dixerit.

Taxamus igitur merito Hug. Grotium, qvod L. 2. 6. 7. de V. R. disputarit Gentiles credere potuisse, homines posse resurgere. Vid. de Gentilium sententia Augustinus in Ps. 88. Serm. 2.

§. 11. Ex Christianis Origenes doctrinam de carnis resurrectione, qvæ fieri debebat capillis, pectore & ventre in totum rejecit. Vid. Epiph. hær. 64. Eundem errorem erravit qvoq; Joh. Hierosolymitanus, qvi fuit successor Cyrilli Hierosolymitani, hacqve sua opinione in plurimis Ecclesiis turbas periculosas excitavit, & Anno 3390. cum Hieronymo & Epiphanio contentionis serram reciprocare incepit. Qvapropter etiam ab Hieronymo in Epist. ad Pammach. qvæst. 41. ita loqvens introducitur: Nunc oculis videmus, auribus audimus manibus, agimus, pedibus ambulamus, in illo spirituali autem corpore toti videbimus, toti audiemus, toti operabimur, toti ambulabimus. Errorem autem hunc ibi reprehendit, annotans simul ipsum nimium tribuisse & favisse partibus Origenis. De hac Syrraxi conf. Magnif. Dn. D. Præsidis dictata Historica Ecclesiast. Sec. IV. cap. 4.

§. 12. Sociniani contendunt itidem non eadem illa corpora resurrectura, qvæ in hoc mundi ergastulo circumferimus, sed alia nobis suppeditanda qvoad substantiam scil. spiritualia & cœlestia. Vid. instit. Ostorodi cap. 41. pag. 389. Smalcius contra Franzium pag. 407. it. contra Smiglecium pag. 131. ubi inqvit: Totus homo erit spiritus in Christi adventu & spiritus vivificans. Simile docet in Exam. 100. error. pag. 56. Catech. Racov. pag. 1064. Volkelius lib. 3. de V. R. cap. 35. Crellius in Comment. 1. Cor. 15. Vorstius de Deo pag. 20.

§. 13. Non obscure videntur favere huic sententiæ Arminiani. Nolunt enim damnare Socinianos, utpote cum res de resurrectione adhuc dubia sit. Aliqvanto clarius autem mentem suam exprimunt in Responsion. ad Excerpta Leidens. dicentes, DEUM in altera vita hanc litem esse sublaturum. Confer, si placet, Apologiam Arminianam, pagin. 109. item cap. 19. pag. 217.

§. 14. Patrocinantur superioribus Anabaptistæ, qvi ludunt in denominatione corporis glorificati, statuentes, qvod homines in corporibus glorificatis resurgere debeant, ast propriis qvalitatibus

cari-

carituris. Inspiciatur saltem, cui volupe est, Colloq. Franckenthal. Action.29.m.7. Legitur ibidem Anabapt. interlocutorem, qvi erat tunc temporis Theobaldus, dixisse: Ut populum doceamus fore, ut resurgant mortui cum suis manibus, pedibus, pelle, carne & ossibus, id non committimus, ita illos non docemus. Vid. Cloppenburg. Gangræna Anabapt.p.228.

§. 15. Weigelianos non immerito illis accensemus. Illi enim distinctionem excogitarunt inter damnandos & salvandos. Horum corpora sperant substantia spirituali resurrectura, sed illorum prorsus interitura esse sibi (licet falso) persvasum habent. Vid. Weigel. P.2. Post. p.15.

§.16. Neq; Pontificios, licet Socinianorum, errorem culpent, ab eo prorsus immunes absolvimus propter suas, qvas fovent, hypotheses. Primo enim negant diversitatem sexus in corporibus resurgendis. Cum qvibus & Hugo Grotius facit ad Matthæi cap. 22. vers. 32. qvando ita fatur: Non video qvam certis nitantur rationibus, qvod qvidam volunt etiam in futuro seculo manifestum fore sexuum discrimen. Videri enim potest, id discrimen pars esse τῆς ἀσθενείας. Alii Scholastici imprimis dicunt l.2 sent. dist.20. Omnes homines resurrecturos esse in genere masculino. Sed Scotus & ejus Asseclæ in l.d. Lombardi negant qvoq; fæminas in proprio sexu resurrecturas esse, excepta tantum B. Virgine Maria, & ideo, qvia ecclesia adhibeat hanc formulam: Sancta Maria, non autem sancte. Alias enim Ecclesia Grammaticè errasset. Verum erroneam opinionem esse liqvido constat. Idem enim numero corpus resurget ut probatũ est scripturæ dictis. E. etiam in eodem sexu resurget. Negant qvidem Hieronym9, Basili9 & Athanasi9 sexuum diversitatem, sed negant eam fore qvoad usum, non qvoad substantiam. Deinde qvoq; Papicolæ asserunt Mariam cum corpore suo adscendisse in cœlum instar Christi. Sed dispereant cum suis nugis & ineptiis. Refutavit Scotum Georg. Steng. de monstris.

§.17. Non possum etiam me continere, qvin aliqvid dicam de impudentissima calumnia, qvam Calviniani nobis affricare student, clamitantes, qvod Lutherani cum Joh. Hierosolymit. idem erroris jugum trahant. Sed ratio, cur nos ita accusent, est, qvod in qvibusdam attributis ab iis digressum facimus. Vid. Paræus in Comment. 1. Cor. 15.

 §.18.

§. 18. Tandem qvoqve graviter circa præsentem qvæstionem lapsus est Augustinus, qvi omnes resurrecturos esse qvasi Annorum XXXIV. in perfecta scil. statura existimat. Verum enim verò solide refutari potest inde, qvod hac ratione qvidam resurgerent majores, qvidam minores, qvam antea fuerant. Et sic non resurgeret, qvod cecidisset. Deinde hæc opinio diametraliter opponitur Apocalypsi Johannis, ubi legitur pueros in statura sua resurrecturos. Vidit enim Johannes magnos & parvos coram Judice comparentes.

§. 19. Cum igitur jam satis superqve exploratam habeamus adversariorum mentem, restat unice, ut etiam potissima eorum argumenta luci exponamus & sub examinis incudem revocemus. Opponunt autem corpora nostra fore pnevmatica & homines Isangelos. Angeli autem, cum spiritus sint, ossa non habent 1. Cor. 15. Luc. 20. Resp. (α) dist. inter Spiritum: & spirituale. Hoc latius patet & ad proprietates Spiritus pertinet. (β) inter esse angelum, & esse Isangelum. Simile non est idem. Illa spiritualitas corporum, non erit de substantia sed qvalitatibus intelligenda. Hinc Hieronym. in epist. ad Pammach. Similitudo ad angelos non hominum in angelos demutatio, sed profectus est immortalitatis & gloriæ.

§. 20. Citant pro se dictum 1. Cor. 6. 13. Resp. dist. inter substantiam humani corporis: & statum ejus animalem. Destruet qvidem Deus ventrem non qvoad ipsa organa sed qvoad usum eorum animalem, qvo minus homo cibo & potu indigeat ac generationi ac corruptioni obnoxius sit.

§. 21. Urgent 1. Cor. 15. 50. Resp. dist. inter carnem & sangvinem substantialiter consideratum: & inter carnales affectus. Corpora demortuorum non resurgent, neqve videbunt regnum cœlorum cum affectibus carnalibus.

§. 22. Comparationem instituere solent ex 1 Cor. 15. 37. seqq. hoc modo: uti se habet granum ad spicam & semen ad fructum, ita se habet funus defuncti ad corpus gloriosum. Nunc autem spica non est eadem numero cum grano, neq; fructꝰ idem numero cum semine. E. seqvitur Apostolū Paulum non inculcasse neq; credidisse numericam resurgentium identitatem. Resp. α) Similitudo non est omnimoda identitas, proindeq; non ultra tertiū extendenda. Scopus

pus enim Apostoli fuit, ut doceret veram carnem, licet alio modo, resurrecturam. Collatio consistit in vicissitudine sementis & messis, nec non in distinctione status & qvalitatum 1. Corinth. 15. 42. (β) Granum non differt qvoad specificam naturam à suo fructu. E. nec corpora demortua & resuscitata specie differunt. (γ) Similitudine hac tantum evincitur, qvod altera, non alia corpora resurgere debeant. (δ) Eadem hæc similitudo corporis Christi cum grano proponitur Johan. 12. 24. Jam autem adversarii lubenti animo largiuntur Christi corpus idem numero & specie resurrexisse. Tantum E. abest, ut hac comparatione contra nos qvid obtineant, qvin potius proprio se jugulent gladio.

§. 23. Patrocinium atqve latibulum qværunt in dicto illo 2. Pet. 1. 4. ubi dicitur, qvod debeamus divinæ naturæ consortes fieri. Resp. (α) Indicatur resurrectio prima, non secunda (β) subscribimus in tantum, in qvantum non de qvidditate sed de qvalitate exponitur. (γ) Dist. inter transformationem naturæ humanæ in divinam: & participationem donorum. (δ) inter ἀποθέωσιν seu deificationem: & ἀνακαίνωσιν seu renovationem. De posterioribus membris res est expedita, sed priora prorsus à nobis removemus.

§. 24. Dantur, inqviunt, Anthropophagi. Non E. potest fieri, ut homines qvoad idem corpus numerice resurgant. Illi enim, qvi ab alio sunt devorati, in substantiam carnis alterius sunt transmutati. Resp. (α) Non licet omnia circumstantialia resurrectionis metiri rationis decempeda, sed melius illa ignoramus. (β) non neganda omnipotentia Dei. (γ) ex August. l. 22. de C. D. cap. 20. dicimus qvod debeat in resurrectione caro reddi isti homini, in qvo esse cœpit. Nam in altero homine tantum mutuo fuit.

§. 25. Arminiani ogganiunt litem illam, num corpus humanum sit pars hominis essentialis, num verò saltem instrumentum animæ, nondum esse decisam, sed hærere adhuc num sub judice. Qvod si igitur erit instrumentum, neutiqvam resurget. Resp. (α) Per illud dubium Philosophicum non tollitur fides in Scripturis proposita, utpote qvæ dicit corpus resurrecturum esse, sive pars

ſit ſive inſtrumentum erit perinde (β) Opponuntur non opponenda. Poteſt enim qvid eſſe pars eſſentialis & tamen etiam ejusdem instrumentum. Sic manus hominis dicitur pars & inſtrumentum corporis (γ) in Philoſophia jam ſatis eſt demonſtratum corpus humanum eſſe partem hominis eſſentialem. In primæva enim Creatione ad hominis conſtitutionem ſpectavit. (δ) ſeqveretur, ſi corpus non eſſet pars eſſentialis, animam poſſe hominem appellari, qvod tamen eſt abſonum & abſurdum.

§. 26. Occurrunt Anabaptiſtæ diſtingvendo inter ipſam reſurrectionem ſimplicem: & inter glorificationem reſurrectioni annexam. Huic non illi molem corpoream membrorum repugnare arbitrantur. Unde qvoqve Chriſtum in glorificatione membra depoſuiſſe docent. Aſt nos aliter edocti, Reſpondemus illam diſtinctionem eſſe futilem & ſutilem. Etenim (α) qvod ſemel aſſumſit, nunqvam depoſuit. Jam humanam naturam. E. (β) Reditus Chriſti promittitur in iisdem membris Apoc. 1. 7. Qvi igitur depoſuiſſe ea poteſt?

§. 27. Schegkius in Antiſimonio ſect. 9. pag. 420. 440. identitatem reſurrecturi non in humani corporis materia, ſed tantum in ejus forma ponit, animam eſſe extituram, atqve adeo idem numero homo propter formam h. e. animam reſurrecturus dicatur. Verùm Reſp. (α) Conceſſa identitate hominis reſurrecturi, etiam concedenda eſt identitas corporis, qvia partes eſſentiales ſunt anima & corpus. (β) anima ſola non eſt homo, ſed corpori unita. (γ) mutatio proprietatum non infert mutationem ipſius ſubjecti & abolitionem ſed alterationem. Subjectum enim unum diverſa poteſt recipere accidentia. Et qvod materiam corporibus denegat (a) inſomnium ſine ſomno ſtatuit juxta Scalig. exerc. 359 Sect. 11. (b) diverſa ſpecie (materialia & immaterialia) confundit entia. (c) non diſtinguit inter materiam ipſam, qvæ manebit eſſentia: inter qvalitatem ejus, corruptibilitatem, qvæ abolebitur. Vid. B. D. Balth. Meiſnerus P. 1. Philoſ. Sobr. Sect. 3. pag. 380. ſeqq.

§. 28. Cætera, ſi qva ſunt, adverſariorum ἀντίπιπτα reſervamus publico conflictui & ita tribus noſtris ſectionibus pertractatis hic pedem figimus, donec tres aliæ, ut Moraliſtica, Aſcetica & Paracletica (qvæ qvidem non tam ad Cathedram Academicam qvam Eccle-

Ecclesiasticam spectant) opportuno tempore seqvantur. Vale, qvisqvis legis, nec seculi more & scribendi titillatione, sed magnorum Virorum monitu me exiguam hanc operam consarcinasse existima, nec dubita qvin operas, si Deus vitam & vires indulserit, majores & meliores sis visurus; interim præcidaneam hanc fronte accipito porrecta & studiis nostris inposterum favere pergito. Qvod superest ad eum, à qvo initium laboris nostri fecimus, nos iterum convertimus, instituentes pro auxilii divini clementissima adsistentia & donorum concessione sanctam hanc doxologiam:

Tibi Patri laus, unico
Honor sit atqve Filio,
Sit Flaminiqve gloria
In sempiterna secula!

Τ Ε Λ Ο Σ.

CLARE, fidem Jobi confirmas, posse redire
Ex tumulis cunctos, impia turba negat.
Nempe GOEL primus perfregit vincla sepulchri,
Exemplo ut possit surgere qvisqve suo.

Clarissimo ac Per-Eximio Dn. Respondenti, Amico & Commensali suo svavissimo de egregio eruditionis specimine gratulaturus paucula hæc depropera.

M. HENRICUS Bröckelmann
Dortmunda-Westph.

Ad

Præ-Exim

Dn. M. CHRISTOPH.

Doctæ hujus Di

Ecce Redemptorem Chr
Et nisu proprio, *sua*
Gratulor his ausis: tua fac
Sic Patriæ atqve Tui

SO recht/ O werther Fr
Wenn man zu jederzeit z
Der Eltern sauren S
Wenn man sich fleißig

Weil er auch/ **werther Freund**
So hat Er auch hierdurch die Eh
Belobter Wissenschafft/ er
Wie er das alte Lob sehr rü
In seiner klugen Schrifft von Hi
Ich wünsche Glück darzu/ so hat
Und wird in guter Zeit das
Ich wünsche noch einmahl:

FRA



Ad

...ræ-Exim. atqve Clariss.

...TOPH. HENRICUM RUPERTI

...hujus Disputationis Autorem.

...em Christum scis vivere nostrum,
...rio, *suavis Amice*, doces.
... tua facta secundet Iova!
...qve Tuis gaudia magna paras.

* * *

...erther Freund/ so steigt man Himmel an/
... jederzeit zum besten wendet an/
... sauren Schweiß/ die edle Zeit der Jugend
... sich fleißig übt/ und tracht nach Kunst und
Tugend.
...r Freund/ genommen dis in acht/
...rch die Ehr davon gebracht
...schafft/ er läst noch ferner hören/
...ob sehr rühmlich woll vermehren
...ifft von Hiobs schönen Spruch/
...rzu/ so hat er schon genug/
...r Zeit das Vaterland erfreuen.
... einmahl: GOTT gebe sein Gedeyen.

Alludebat ita
FRANCISCUS ENDERLINUS,
Lindaviensis Acronianus.

